





19. 93

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS,  
DE  
**NATVRA** <sup>1710</sup> ~~206~~  
**SPONSALIORVM**  
ET  
**DIVISIONE,**

Von der  
Natur und Eintheilung der Ehe-Verlobnisse,

QVAM  
PRAESIDE  
**DN. IO. SAMVELE STRYCKIO,**  
ICTO, SERENISS. VIDVAE SAXO-ISEN. CONSIL. AVL.  
PROFESS. IVRID. PVBL. ET ORDINARIO  
ICTOR. H. T. DECANO,  
*IN ALMA REGIA FRIDERICIANA*

A. 1710. Mense Iunii

RESPONDENDO PROPUGNAVIT  
**TOBIAS HERMANNVS,**  
MEMMINGA-SVEVVS.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.

(7)

DISSESTITIA INVAECA  
AIA  
MUNICIPALIS  
DIASION  
DNI 10 SAMVCTY CRI  
S. Landesh  
Halle/S.  
Bibliothek

94.



I. N. I.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

NATVRA SPONSALIORVM  
ET DIVISIONE.

C A P V T I.

*De Natura Sponsaliorum.*

§. I.



Vm nullas magis in foro frequentatas  
controuerfias, quam eas, quæ circa finis huius  
ius connubiorum occurrunt, vide-  
rim, & tamen vix vlla alia in causa ma-  
iore Doctorum dissensum in omni-  
bus fere eius quæfionibus depre-  
henderim; non incongruum duxi,  
pro themate inaugurali materiam exinde feligere, quo ita  
occasione daretur, non tantum in causas dissensus istius  
penitus inquirendi, sed & solidiora suppeditandi princi-  
pia, secundum qua tanquam ad lapidem lydium quæfio-  
nes controuerfa examinari, & facili opera plures conclu-  
fiones inde formari, possint. Sed quoniam nimis diffu-

*Occasio &  
Dissertatio-  
nis.*

A 2

sum

4 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

sum est illud ius connubiorum, hac quidem vice sufficiat materiam sponsaliorum, quæque maxime quoad eorum naturam atque divisiones monenda veniunt, breuibus proposuisse. Perspecta enim natura atque diuisionibus alicuius negotii, etiam de eius essentia & reliquis proprietatibus facillime constare posse, nemo dubitabit.

*Cause, ob  
quas inuenia  
sponsalia.*

§. II. Aeturus itaque hoc Cap. I. de natura sponsaliorum, quædam de causa cur introducta fuerint, delibare licebit: illa vero ut præambulum præludere matrimonio, haud inepte quis dixerit. Nam cum connubium, ut inquit Schilterus *Exerc. ad ff. 36. §. 2.* non tantum ciuitatis seminarium sit, sed etiam cuiusque priuatorum fortis momentum, ob geminam & ancipitem in eo viam, quarum altera ad miseriam dicit, altera ad felicitatem: hinc primæ prudentiae ciuilis lex est, ut ne præcipitanter, nec impetu, sed maturato consilio, plenoque consensu hæc societas coeatur. Quamobrem nec simul & semel contrahi consuevit, sed solenni quodam negotio pertractari, ita ut quasi gradibus quibusdam ad eius consummationem perueniatur. Quorū primum constituunt sponsalia, quæ moribus plerorumque gentium moratorum nuptias præcedere solent, quod de moribus Hebraeorum, æque ac Græcorum & Romanorum, egregiis testimoniis firmat Paul. Cypræus *Traçt. de Sponsal. Cap. I. num. 9. seqq.*

*Definitio  
sponsalo  
rum tum  
verbalis.*

§. III. Dicuntur autem sponsalia, de quo nemo ambigit, a spondendo, a quo vocabulo etiam sponsus sponsaque diriuantur: quibus nominibus appellantur mas & femina, quorum ex pacto futurum speratur matrimonium, *I. 3 ff. de sponsal.* Spondere a sponte deducetur dicitur, & denotat idem ac sponte vel libera voluntate pro-

mitte-

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

95

mittere, vti ex Verrio Festus tradit: deinde quoque re-latum fuit ad stipulationem, & conceptis verbis, solenni ritu interrogatione & responsione interpositis promitte-re significat, *l. 1. s. 7. ff. de Oblig & Act.* nam moris fuit ve-teribus, iuxta *l. 2. ff. de sponsal.* stipulari & spondere sibi vi-xores futuras, vti vel solo ex Plauto colligi potest in *Aulul.*

*Credo ad eum, ubi mentionem ego fecero de filio,  
Mibi ut despondeat, derideri se se a me creditur.*

Plura de ritibus sponsaliorum apud veteres collegit P. Gregor. *Syntagm. Iur. P. 2. L. 8. c. 2. per tor.* Inde quia stipu-lationis huius duas partes fuisse, ex allegato Plauti car-mine probatur, mentionem scilicet, *vic Ehe-Werbung,* & repromissionem, *die Zusage;* certe eleganter & perite *Tum realis.* Florentinus IC. *in l. 1. ff. b. t.* sponsalia definiuit, vt sint *men-tio & re-promissio nuptiarum futurarum.* Quae definitio to-lerari etiam apud nos poterit, licet verus ille spondendi nuptias mos iam diu exoleuerit; cum verbum repromis-sionis etiam in iure nostro non raro pro cautione simplici capiatur, id quod *ex l. 37. ff. de Euiſt.* notauit Ill. Dn. Stryck. *Tr. de Diff. Sponsal. S. c. 1. s. 6. in fin.* Ut hinc parum aut ni-hil differre videatur allata definitio ab ea, quam tradit Ni-col. I. Pontifex Maximus, qui *in can. 3 cauf. 30. qu. 5.* sponsa lia futurarum nuptiarum promissionem dixit.

§. IV. Paucis tantum ipsa verba definitionis antea traditæ explicanda: scilicet vocatur *mentio & re-promissio,* *definitio.* partim vt indicetur forma olim consueta stipulationis, partim vt hoc ipso constet differre sponsalia a tractati-bus. Mentio enim, quæ indicat nuptiarum commemo-rationem, id est, collocutionem de futuris nuptiis, non facit sponsalia, sed repromissio; quamdiu ergo non adest

A 3

promis-



## 6 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

promissio ab vtraque parte facta, tamdiu adsunt meri tractatus, qui nullam adhuc producunt obligationem, vsque dum consensus in idem placitum, seu promissio vtriusque partis, accesserit; quam tamen promissionem duos separatos actus requirere, vnum, vbi mas feminæ futuras promittit nuptias, illaque acceptat, alterum, vbi femina mari itidem acceptanti easdem repromittit, haud puto, sed ex promissione vnius & acceptatione alterius, cum hoc modo duorum in idem placitum adsit consensus, perfecta nasci sponsalia, certum est, vt hinc iure meritoque contrariam opinionem, quam fouet Sanchez. *de Matrim. L. 1. Disp. 5. dub. 2. n. 12* vt absurdam reiiciat Bruckner. *in Decif. Iur. Matrim. c. 1. n. 6.* Porro dicitur in definitione, mentio & repromissio *futurarum nupiarum*, vt ita indigetur differre sponsalia a nuptiis, tanquam antecedens & consequens: nam cum spondeant nuptias, sane non ipsæ nuptiæ, sed potius spes earundem, *per l. 6. de sponsal.* dici possunt: spes namque omnis est futuri boni secundum Philosophos. Vnde nec canonistæ sponsalibus sanctitatem tribuere audent, sed tantum sacramentalia ea vocant, i. e. prævia ad ipsum matrimonii sacramentum. Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 43. art. 1. fol. 96.* Nec etiam constitutionem aliquam loquentem de vxore & marito, ad sponsamque applicant. Tiraquell. *de LL. Connub. gloss. 2. n. 21.*

Natura  
sponsalium  
in consensu  
consistit.

§. V. Ut tamen hæc accuratius intelligantur, secundum est, totum negotium sponsaliorum consensu nisi tam eorum, qui coniunguntur, quam quorum sunt in potestate, *L. 7. f. 1. ff. eod.* in eo consistere naturam eorum, & inde quoque nasci obligationem. Quatenus seil. consentiunt partes in præsens negotium, atque fidem dant, quod postea matrimonium consummare, & in coniugali consortio

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

7

98.

sortio viuere velint. Arrha enim, annulus, iuramentum & similia, maioris certitudinis causa adhibentur, & istis signis saltuum exprimitur consensus sponsalitius, ut adeo Lancellottum L. 1. Inst. tit. 10. § 2. sponsalia re, verbis, literis & consensu contrahi afferentem, terminis iuris ciuilis abuti, recte statuat Ziegler. add. Nec enim, vt contraetus realis sine rei traditione; verbalis absque certis verborum conceptionibus; literalis sine interueniente literarum obligatione non perficitur: ita & sponsalia imperfecta dici poterunt absque interuentu annuli, literarum, vel verborum solennium.

§. VI. Cum vero & ipsum matrimonium solo consensu contrahi, nec ad eius perfectionem concubitum requiri, in l. nuptias 30. ff. de R. I dicatur; videndum nunc, an ergo eodem consensu sponsalia & matrimonium simul contrahantur. Sed notum est, non omnes contractus, qui solo consensu in euntur, propterea eiusdem esse naturae, ac plane coincidere, cum alias omnes contractus consensuales inuicem confunderentur. Talis itaque in quo cunque negotio requiritur consensus, qualem natura cuiusvis exigit: ita in emtione requiritur consensus de re & pretio, in locatione de vsu & mercede &c. Haec si ad praesens applicentur negotium, apparet, aliam esse sponsaliorum, aliam matrimonii naturam, hinc & distinctum esse consensum sponsalitium a consensu matrimoniali operet: nam quemadmodum in vniuersum consensus de faciendo seu de facto futuro non est confundendus cum consensu de praesenti, qui cum facto ipso coniunctus: ita omnino ille consensus, qui in sponsalibus cernitur, non idem est, qui in nuptiis, & dum vxor ducitur, interuenit. Scilicet qui sponsalia contrahunt, non habent eam intentio-

*Consensus  
sponsalitius  
a matrimoniali est di-  
stinctus.*

nem,

## 8 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

nem, quod ex nunc velint esse coniuges, & pro iis haberi, sed habent intentionem contrahendi sponsalia & differendi matrimonium ad aliud tempus. Quale ergo negotium, talis esse debet consensus; & ita in sponsalibus non est consensus matrimonialis, vt nec quando ipsum matrimonium contrahitur, hic est consensus sponsalitius, sed tum ipsum matrimonium contrahitur, & iura diuina & humana communicantur. Atque hoc de iure Romano adeo verum est, vt sponsalibus nulla sit coniunctio, sed coniunctionis tantum spes, cui tamen liberum renunciare. *I. I. C. b. t. Fr. Duaren. ad tit. sol. matrimon. pr.*

*Hinc differe  
matrimoni-  
um a sponsa-  
libus multis  
modis.*

§. VII. Videamus ergo, quomodo differant sponsalia a matrimonio, vt ita propria sponsaliorum natura eo accurratius cognosci possit. Differunt autem potissimum (1) vt antecedens & consequens, nam sponsalia, (vt constat ex §. 2. h. cap.) ideo maximam partem inventa sunt, vt gradibus ad matrimonium, negotium quippe perquam arduum, perueniatur, & hinc non solum in re discrimen, sed & in tempore interuallum inter sponsalia & nuptias esse, docet Hottoman. *Lisp. de sponsal. cap. 7. princ.* & idem confirmat D. Augustinus in *can. institutum 39. caus. 27. qu. 2.* quamuis non vniuersim hoc obseruari tradat Nicol. Papa in *cap. 3. nostrates caus. 30. qu. 5.* Adde (2) quod sponsalia tantum fiant per promissionem futurarum nupciarum, nuptiae vero consummentur solenni stipulatione aliisque solennibus v. g. deductione in dominum, benedictione sacerdotali, &c. B. Brunneemann. *ad 1. 6. & 7. ff. de R. N.* Quin & (3) sponsalia non tribuunt ius in corpus, sed se habent vt ius ad rem, ast ex nuptiis oritur ius fiendi duo in carnem vnam *Genef. II. 22.* in quo iure consistere differentiam specificam consensus sponsalitii

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

9

97.

litii & nuptialis, dum ille ius illud promittit, hic confert; vt afferit Schilt. *Inst. I. Can. L. II. Tom. II. f. 3.* Huic consequens est, vt nec (4) sponsa in potestate sponsi sit, nec (5) forum mariti eiusque dignitatem & priuilegia habeat *I. 32. ad municip.* nec etiam gentilitium sponsi nomen adsciscat. Quæ omnia in vxore aliter se habent. Bruckner. *Decis. Iur. Matr. C. 1. n. 42.* Porro (6) sponsus dotalium honorum sponsæ nec dominium, nec vsumfructum habet, e contra ab onere alimentationis sponsæ immunis est, *arg. l. 3. ff. de Iur. dot.* cum maritus non tantum dotis dominus sit, sed & illius vsumfructum habeat, omniaque onera matrimonii subire obligatus sit. *I. 75. d. I. dot.* (7) Donatio inter sponsum & sponsam valet, *I. 32. f. pen. de Donat. inter Vir. & vxor.* non inter coniuges. (8) In sponsalibus sufficit ætas, qua quis infantiam egressus est *I. 7. l. 9. b. t. c. 14. X. de despousat. impub.* Nuptiæ nonniſi contrahuntur inter masculos puberes & feminas viri potentes, *pr. I. de Nupt.* (9) Sponsalia tantum iustitiam publicæ honestatis inducunt, secundum ius canon. Coruin. *I. Can. L. II. t. 13. f. 77.* Nuptiæ vero affinitatem, *c. pen. X. de eo, qui dux. in ux.* (10) Sponsalia intra annum luctus salua fama possunt celebrari, *I. 10. f. 2. de bis, quinor. infam.* non nuptiæ. Denique (11) secundum praxin consistoriorum nostrorum, ait Bruckner. *n. 58.* inter sponsalia & matrimonia hæc differentia notabilis accessit, quod illa ex multo pluribus causis, quam hæc rescindi possint, & non tantum mutuo dissensu *cap. 2. X. b. t.* etiamſi iuramentum intercesserit; *Dec. consil. 68.* sed & quotiescumque post sponsalia contracta, inconueniens aliquod notabile, aut noua causa, talisque accedit casus, qui, si tempore sponsaliorum adfuisset, sponsus aut sponsa in matrimonium nunquam consensissent. *cap. Quemadmodum 25. de Iure iur.* Consil. Te-

B

bing.

E 1442

## 10 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

bing. 237. n. 46. p. 5. Plures differentias qui scire cupit, adeat Cypræum *de Sponsal.* cap. 5. per 201. Brucknerum d.l. n. 33. & segg.

*Dubia remo-  
ventur.*

§. VIII. Hæc quamvis plana omnia & in aperto fint, non tamen desunt, qui hanc sententiam impugnare contendant, quos inter præcipius est Carpzou. *Iurisprud.* *Consil. L II. def. 17.* Qui error inde prouenit, quod vel inter consensum sponsalitium & nuptiale haud distinguant, vel omnes differentias inter sponsalia & matrimonium tollant, seduicti aut textibus iuris canon. aut aliis rationibus minus concludentibus. Sunt vero rationes eorum hæc: (1) quod matrimonium solo consensu contrahatur, iam vero illum consensum adesse in sponsalibus, ergo etiam adesse matrimonium: (2) si contractus fiat sub conditione, & sic in futurum, ea existente, perfici illum absque alio consensu, quod idem afferendum de contractu matrimonii. (3) Sponsam non tantum iure diuino, vti *Matth. I. 24.* sed & iure canon. *per cap. coniuges 6. X. de Sponsal.* atque tandem ciuili, *I. si sponso 74. ff. de Iur. dot.* vocari vxorem; hinc & (4) iura in uno loquentia, locum etiam in altero obtinere; quo potissimum illud referunt, quod in sponsum dicatur committi adulterium, *Deut. XXII. 24.* Verum facilis ad hæc dubia erit responsio. Nam (1) non nego, consensum facere matrimonium, (si morum simplicitatem spectes, aliud tamen erit de iure Romano, vid. Illustr. Dn. Stryk. *de Diff. Sponsal. Secl. I. ff. 11.*) at quid inde, erit ille consensus matrimonialis, communicationem humani diuinique iuris pro scopo habens, non sponsalitus, quippe contrahendas denum nuptias respiciens, *conf. ff. 6. b. cap.* Ratio (2) quæ est glossatoris ad LL. *Longobardicas apud Schilt. d. Exerc.* f. 3. itidem confundit consensum sponsalibus proprium,

cum

SPONSALIORVM ET DIVISIONE. ii

c 18.

cum eo qui ipsum concernit matrimonium. Scilicet sponsalia si sub conditione facta, ea existente, perficiuntur absque alio consensu *sponsalio*, haec tenus suspenso. Non autem sequitur, ergo in nuptiis non accedit alius & nouus consensus. (3) Sponsa vocatur quidem vxor, quia ut vxor fiat, sponsalia ineuntur, ergo ratione obligationis ad cohabitationem futuram vxor vocari potest, inde tamen non est *vxor*; cingendus ergo hic habetur pro cincho, vid. omnino *Can. 12. cauf. 27. quæst. 2. ibi: Accipe Mariam coniugem tuam, &c. non quæ iam vxor erat, sed quæ vxor fieri debeat.* Nec est (4) ut Carpzov. d.l. num. 8. ideo per publica sponsalia matrimonium contrahi dicat, quod iura in uno loquentia, in altero quoque locum habeant; leges enim, quas assert, tantum ostendunt, in aliquibus, ubi est eadem, vel maior ratio, despontatis eadem, quæ nuptis, iura dari: Nam communia quædam sunt iura & *νομονοματα* inter sponsam & vxorem, ut recte dixerit interpres, l. 60. *Βασιλειῶν:* sponsum in plerisque maritum imitari. Cypr. cit. tr. cap. 5. §. 34. num. 1. ita inter quas personas prohibitæ sunt nuptiæ, inter eas quoque prohibita censentur sponsalia, l. 15. l. 16. b.t. quia sponsalia via sunt ad nuptias: deinde in l. 4. de fundo dor. cautum est, ut sponso prohibita quoque sit alienatio fundi dotalis; nam plus iuris habere nequit sponsus in bonis sponsæ, ac maritus in bonis vxoris. Sic non tantum maritus vxori, sed & sponsus sponsæ iniuriam illatam vindicat, l. 15. §. 24. de *Iniur.* nec sponsa cogitur testimonium contra sponsum dicere, l. 5. de *Testib.* ob æquale amoris vinculum, quod æque despontati atque coniugati sibi in vicem debent. Quod vero in specie in sponsum adulterium committi dicatur, inde est, quia fides semel, de futuro matrimonio data, intacta seruanda est, quam qui vio-

12 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

lat, rescindit vinculum matrimoniale, quod in spe fuit. Quam spem instar adulterii vindicavit Moses. vid. pluribus Dn. Præses de Relig. Sacram. Cap. II. vbi inter alia ostensum, quam manifesto sibi Carpzouius hic contradicat.

*Quæ sit sponsaliorum obligatio.*

*Iure Romano.*

*Moribus.*

*Hodie valide pœna sponsalibus adiici potest.*

§. IX. Ex perpensi ita natura sponsaliorum, & eorum a matrimonio differentiis, sua sponte fluit, illa omnia, vt sèpius dictum, esse futurarum nuptiarum, & ex consensu omnem suam vim atque obligationem habere. Qui consensus, cum per superius dicta, Iure Romano per solennes sponsiones exprimeretur, actionem de sponsu producebat, secundum ea, quæ refert A. Gellius lib. 4. N. A. c. 4. vt si post consuetas stipulationes vxor non daretur, aut non duceretur, iudex ad id, quod interest, condemnaret reum. Quodsi autem non per stipulationes solennes, sed nudo pacto fuerint contracta sponsalia, nulla oriebatur obligatio ad vim agendi, ita vt altera parte etiam inuita, liberum fuerit sponsalibus renunciare, & cum alio quoquis matrimonium contrahere, l. 1. C. de sponsal. Sed nec pena villa, quamvis promissa, eo nomine peti poterat, l. 3. C. d. r. & solummodo arrha amitterebatur, l. Titia 134. de V. O. si qua interuenisset. Postquam vero moribus omnia pacta deliberata vim obligandi pristinam acquisuerunt, nullum superest dubium, quin hodie ex sponsalibus, quibus futuras paciscimur nuptias, rite contractis, valida competit actio, ad consummandum matrimonium per solennes nuptias. Dedeckenn. Vol. 3. lib. 2. Seçt. 12. per 102. Inde & penam committi, si qua interuenit, consequitur; quod absque ratione negat Cypræus d. tr. C. 8. §. 18. Nam postquam licentia illa repudium mittendi cessauit, quæ olim apud Romanos in usu erat, l. 2. C. de inutil. stipul. etiam cessat effectus Iuris Romani, qui habetur in l. 3. C. de sponsal. Græneweg. de LL. abrog. ad fin. C. d. tit. n. 9.

§. X.

99.

§. X. Num vero ex hac actione præcise quis co-  
gi possit ad matrimonii consummationem; an vero ad ex-  
emplum actionis de sponsu, olim apud Romanos visitatae,  
tantum ad interesse, nuptias non adimpleri, teneatur re-  
us, altioris indaginis quæstio est. Certe ius Canon. non  
videtur esse huic actioni ad interesse contrarium, quam-  
uis ultra penitentia ab ecclesia iniunctionem propter  
ruptam fidem expressis verbis non procedat, c. 22. X. b. e.  
Contra Bruckner. aliquie nostratum absolutam coactio-  
nem urgent, & Iuris Canonici dispositionem in c. 17. X.  
eod. incrépant, eo quod omnis contractus ab initio qui-  
dem sit voluntatis, sed ex post facto fiat necessitatis, l. 5.  
*C. de Obl. & Aet.* Attamen cum non res sed factum hic in  
obligatione sit, ad quod regulariter neminem præcise co-  
gendum esse volunt per l. 68. l. 112. ff. de V.O. & coactum  
matrimonium, ut verbis Brouweri utar, *animi tormentum,*  
*perpetuus carcer,* *tragicos soleat habere exitus;* hinc vbi le-  
tiores terrendi modi adhibiti, actorem eo, quod sibi in-  
terest, contentum esse, & partem refractariam multa ar-  
bitraria coerceri debere, iustum fore credo. Utique si  
res adhuc sit integra; quod si vero accesserit defloratio  
desponsatae, (ad quem casum tandem suam sententiam  
restringere videtur Brückner. Cap. 1. num. 12.) iam non  
amplius de sponsalibus consummandis, sed consumma-  
to matrimonio continuando quæstio est, siquidem, pro-  
cedendo ad illum actum, qui non nisi coniugatis con-  
cessus, videntur a consensu sponsalitio processisse ad ma-  
trimonialem; hinc utique omnia remedia adhiberi pos-  
sunt, ut obligationi stent desponsati. Atque ad hos ter-  
minos reducendos esse casus, quando in Consistoriis in-  
uiti copulantur, docet Illustr. Dn. Stryk. *cir. tract. Sect.*  
*II. ff. 7.*

B 3

§. XI.

*Ad quid de-  
tur actio ex  
sponsalibus.*

.P.  
14 DISSERT. IURIDICA DE NATVRA

*Nunmutuo  
dissentia a  
sponsalibus  
recedere in-  
tegrum sit.*

§. XI. Plane si despontati mutuo consensu a sponsalibus iterum recedere velint, minus dubii est, quo minus fieri haud possit: nam cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidue dissoluere, quo colligatum est, per l. 35. de R. I. idem quoque in sponsalibus afferendum erit, indissolubilitas enim sponsalibus non contrahitur, sed contrahi promittitur, quam promissionem sibi remittere contrahentes posse, ipse afferit Pontifex in c. 2 X. b. 2. Dubia, quae contra hanc doctrinam moueri solent, solide iam diluit Illustr. Dn. Stryk. d. l. Sed. III. f. 24 seqq. Vnicum addo, Schilterum Exerc. 36. f. n. ad dictum Innocentii statuere, illam dissolutionem priuato ausu fieri non posse, sed coram iudice competente fieri debere. Quod quamuis admitti possit, ad eum finem, ut inquirat in causas dissolutionis, & num nulla spes sit, animos de nouo vniendi, atque ut publice iam de voluntate a sponsalibus recedentium constet, quae publice forte inita fuere: Verum vana est ratio quam assert §. 12. ut iudex Dei vices hic gerat, ne in praecidicium diuinæ concurrentis voluntatis dissolutio fiat. Nam illud quidem indubitatum est, quemuis Christianum in quocunque negotio arduo seruis precibus voluntatem Dei exquirere debere, ut de eo in conscientia certus esse possit; sed quid hoc ad forum externum? quis Iudicem illum, siue ecclesiasticum tandem, siue secularem, vti oraculum in hac speciali causa, quae in nudis conuentionum terminis substituit, constituit, ut de voluntate Dei responderet? scilicet vix notam papizantis euadit Schilterus, qui talia afferit, & ex verbis Guil. Brittoni, Poetæ Galli, Pontificiorum castris addicti, probare intendit.

*Per copulam  
carnalem*

§. XII. Illud adhuc addendum est, antequam Cap. h. concludam. Cum naturam sponsaliorum in consensu de

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

15

de matrimonio futuro consistere, probauerim, ex hoc i-  
psò simul fluere, quod, si inter desponsatos ante matrimo-  
niū consummationem intercesserit concubitus, hoc ipso  
non maneant sponsalia, sed fiat matrimonium. Cum e-  
nim desponsati consentiunt in id, quod nonnisi in matri-  
monio permisum, videntur etiam consensum sponsali-  
tium in matrimoniale mutasse. Ex quo fundamento  
facili negotio decidi potest disputata illa quæstio, an libe-  
ri, post inita sponsalia procreati, si benedictio sacerdota-  
lis forte ob mortem alterius desponsatorum accedere non  
potuerit, pro legitimis habendi? Quam quæstionem v-  
tique affirmandam existimo, quod hic essentiale matri-  
monii adsit, & quidem tale, quod non modo ius ciuale,  
sed & ius canon. pro essentiali habet. Nec obstat, quod  
moribus & statutis copula sacerdotalis requiratur ad per-  
fectionem matrimonii: Resp. hoc quidem desponsatis  
vitio vertendum esse, eosque puniri posse, sed nullo mo-  
do prædicare debet liberis, adeo ut hi admittendi sint  
ad omnia iura liberorum, non tantum, quæ iure ciuili,  
sed etiam quæ iure statutario ipsis competunt. vid. Struv.  
*Synt. Iur. feud. C. 9. apb. 3. n. 13. & in primis Dn. Harprecht.*  
*Conf. Tubing. Vol. II. Conf. 25. per tot.*

*consensus  
sponsalium  
transit in  
matrimonii.  
alem.*

## CAPUT II.

*De**Sponsalibus de præsenti & de futuro.*

## §. I.

**E**xposita natura sponsaliorum, & quæ exinde fluat, *Connexio.*  
obligatione, ordinis ratio exigit, vt de eorum po-  
tioribus diuisionibus agamus. Apparet autem ex  
supra dictis, sponsaliorum vnum duntaxat simplexque  
*genus*

genus esse, quotquot enim sunt sponsalia, futuras respi-  
ciunt nuptias, & euanescunt, vbi matrimonio iunguntur  
coniuges: vnde tantum inter se distingui debent  
respectu modi & ordinis contrahendi diuersi. Sed placuit  
iuri canon. in alia omnia ire, & contra naturam sponsa-  
liorum, distinguere inter sponsalia de praesenti & de fu-  
turo. Quam decantatam distinctionem penitus inspicere,  
animus est.

*Quid sint  
sponsalia de  
praesenti, &  
de futuro.*

§. II. Eam igitur cum non agnoscat ius ciuale, ex  
iure canonico definitio petenda erit. Vbi canonistæ vul-  
go hanc tradunt, quod sponsalia de praesenti sint, quan-  
do per verba praesentis temporis quis testatur, se femi-  
nam illam in vxorem accipere, & vice versa; e.g. ego te  
accipio in meum: sponsalia vero de futuro, quando sibi  
inuicem futurum promittunt matrimonium, vtut alias  
verba sint obligatoria, ego te accipiam in uxorem, vel e-  
go promitto tibi, mete duceturum in uxorem. vid. Thom.  
Sanchez. *Traet. de S. Maritim. Sacram. Lib. I. Disp. 18. n. 6. seqq.*  
Has autem loquendi formulas, accipio, accipiam uxo-  
rem maritumue, latinam linguam non sapere, sed ex Go-  
thica barbarie in Romanum irrepsisse sermonem, suspi-  
catur Cypræus d. tr. L. I. C. 4. f. 5. Etenim Romanis acci-  
pere in uxorem, domum ducere significauit, vti constat  
ex L. 6 ff. de R. N. hinc inuita certe linguae latinae elegantia  
ad constituenda sponsalia præfata vocabula applicata.

*Explicantur  
definitiones.*

§. III. Sed missis vocabulis, ad ipsius iuris ponti-  
ficii sensum progrediendum. Patet autem ex allatis de-  
finitionibus, ad verba quidem respicere canonistas, in de-  
scribendis sponsalibus de praesenti: at vero negandum  
non est, solum sonum verborum ab iis non attendi; vti  
inter alia constat ex verbis cap. 31. X. b. 2. ibi: *vel alia verba  
consensum exprimentia de praesenti.* Et hinc sponsalia de fu-

turo

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

turo etiam per verba præsentis temporis exprimi posse. Quare hic omnino distinguendum inter consensum præsentem in nuptias, & consensum præsentem in sponsalia. Id quod exemplo; accipio te in vxorem, & accipio te in sponsam, egregie illustrat Dn. Stryk. d. tr. Secl. I. §. 20. Vnde & Ziegler. ad Lancell. L. II. t. 10. §. 17. sponsalia de præsenti ulterius ita declarat, quod talia sint, quando partes mutua pactione categorice de coniugio in præsenti paciscuntur, h. e. quando ipse coniugii contractus categorice pura pactione in præsenti celebratur, ea intentione, ut absolute matrimonium ineatur. Cui consequens est, ut sponsalia demum de futuro, mentio sint atque repromissio futurarum nuptiarum, adeoque ipsa illa, quæ Cap. I. vera sponsalia esse probauimus.

§. IV. Autorem huius distinctionis Alexandrum III. Papam fuisse, colligunt ex cap. 3. X. de sponsa duorum. Qui sedit ann. Christ. 1159. & hunc deinde secuti sunt Vrbanus III. in cap. vlt. de Coniug. lepros. Innocentius III. in cap. 22. de Sponsal. & Gregor. IX. cap. pen. b. t. expresse distinguentes inter verba de præsenti & de futuro. Add. Cypr. d. tr. Cap. 4. §. 3. n. 3. Quamuis quod Alexandrum III. attinet, illum non tam distinctionem inuenisse, quam potius sponsalibus de præsenti, vim præ matrimonio copula sacerdotali vel carnali consummato, vindicasse videatur: loquitur enim de consensu interposito de præsenti, tanquam de re nota, vti docent verba textus: mutuo consensu *verbis consuetis* expresse recipiat. Quin & verba cap. finalia: *Quamuis aliter a quibusdam predecessoribus nostris sit aliquando iudicatum:* ostendunt, distinctionem prædictam iam fuisse cognitam, sed non semper iuxta eam pronunciatum. Controuersia enim tum temporis erat, num matrimonium ratum (ita vocant sponsalia de præsenti, add.

C

Lancell.

*De Autore  
huius distinc-  
tionis.*

18 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

Lancell. *Inst. I. L. II. Tit. XII. f. n.*) dissoluetur per matrimonium consummatum. Vnde in Anglia, Mutinæ, & aliis prouinciis, temporibus Alexandri III. inualuerat, vt matrimonium ratum dissolueretur per secundum consummatum, ex graui ratione, quod sacramentum consummatum validius obligare debeat quam initiatum: sed contrariam sententiam introduxit atque stabiluit Alexander III. *in d. text.* Plenius dicta probante Gonzal. *in d. c. 3. de spons. duor.* Quicquid autem sit de vero autore, illud tamen certum est, non multo ante Alexandr. III. distinctionem illam introduxit: cum in Decreto Gratiani, quod anno 1151. prodiit, nulla eius vestigia deprehendantur. Nam quod de fide pactionis & consensus ex *con. vlt. caus. 27. qu. 2.* vulgo circumfertur, & ad sponsalia de futuro & de præsenti applicatur, id valde obscurum est, & sublestæ fidei, cum in libris Augustini, cui ille textus tribuitur, nihil ea de re reperiri fateantur Anton. Augustinus & Cuiacius.

Quenam  
fuerit ratio  
instituti.

§. V. Rationem iuris illius, nouiter constituti, haud ineptam tradit Beza *de repud. & diuort. pag. 6. m fin. & 7.* Dicit enim, cum animaduersum esset, non nullos ex Christianorum numero Romanam illam libertatem, (de qua Cap. I. dictum) in repudiis mittendis amplecti, & flocci pendere constituta sponsalia, cum ramen summa religio deberet esse homini Christiano, datum fidem fallere, præsertim in promittendo matrimonio, cuius se auctorem DEVS profitetur, commodius visum fuisse, constituere, vt per verba de præsenti contractis sponsalibus pura & præsens contraheretur matrimonii obligatio, adeoque de iure matrimonii ipsum esset, quamvis non de facto, vt loquuntur, nisi coitus & cohabitatio accederet. Per verba autem

de

de futuro constituta sponsalia, ut nudæ pollicitationes æstimarentur, a quibus recedere, mutata voluntate semper contrahentibus integrum esset: quamuis grauem etiam in ecclesia reprehensionem mereantur, qui mutata voluntatis idoneam rationem non adferrent. Atque huic rationi etiam succurrit, quod breui ante Hierarchiam Alexandri III., qui instaurator huius instituti commemoratur, Ius Romanum iterum florere incepit, postquam anno Christi 1135. tempore Lotharii Imperatoris, Pandectæ Florentinæ in expeditione Neapolitana, Amalfi inuentæ fuerant, & deinde ab Irnerio I<sup>o</sup>Cto doctrinæ, in illis contentæ, per integrum Italiam propalatae. Quas inter & illa erat de sponsalibus, cum tantum nuptiarum spes dicerentur, *I. 6. ff. de sponsal.* quæ per se incerta est, pro lubitu recedi posse; *add. I. 10. ff. eod.* cui fese per indirectum opposuere Pontifices, per modum cautelæ, in sponsalibus consensum matrimonialem requirentes: ubi vero hic consensus de præsenti deesset, præcise coætionem ad consummandum matrimonium non adhibentes, iniuncta tantum propter fidem ruptam pœnitentia, *cap. 22. X. de sponsal.* Quem in modum etiam pœnitendi licentiam, quam in *I. i. C. b. t.* Diocletianus & Maximianus permittunt, restrinxerunt Patres concilii vetustissimi, Liberri h. e. Granatae iam A. Chr. 305. celebrati, cuius canon. LIV. ita sonat: *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione. Si tamen iidem sponsus, vel sponsa, in illo graui crimine fuerint deprehensi, excusari erunt parentes, &c.* vid. Schilt. *ad ff. Exerc. XXXVI. f. 10.*

§. VI. Posita hac ratione, manifesti quoque erunt *Effeclus.* effeclus, quos ius canon. sponsalibus de futuro & de præsenti attribuere solet: quorum potiores sunt, (1) quod *sponsalio.*

• 561  
*rum de fu-  
turo.*

*Et de pre-  
senti.*

*Eorum diffe-  
rentia a nu-  
ptiis.*

sponsalia de futuro, quia spes certa sunt nuptiarum, inducant iustitiam publicæ honestatis, vt dissolutis licet sponsalibus, consanguinei sponsi, cum sponsa matrimonium contrahere non possint, & vice versa c. *sponsam.* 8. b. t. (2) quod regulariter obligent ad consummandum matrimonium, & in subsidium ad subeundam canonicanam distinctionem, *cap. 10. X. de sponsal.* Econtra præter istos effectus, sponsalia de præsenti nexus indissolubilitatis nanciscuntur, vt non aliis de causis, quam ipsum matrimonium, dissolui possint (excepto casu in *cap. 2. X. de Conuers. Coniug.*) Nam cum vinculum coniugale continent, initium sunt veri coniugii, adeoque secundum principia canonistarum sacramentum initiatum, c. 2. *sufficiat,* 27. *queſt. 2.* quod dissoluere nefas est. Dicuntur tamen dicta sponsalia de præsenti, solummodo matrimonium ratum, & de iure contractum; non autem matrimonium legitimum seu de facto initum. Desunt enim solennitates canonicae, i. e. inuocatio nominis diuini & iερολογία, quæ ad matrimonium perficiendum necessariae, ad ecclesiæ consensum declarandum, *can. 1. cauſ 30. queſt. 5.* Et hinc quoad obligandi vim quidem cum nuptiis conueniunt sponsalia de præsenti, vt despontati aliis nubere nequeant; sed quoad consummationem a nuptiis differunt, etiam iure Pontificio. Ita vt ob deficientem solennem traditionem, sponsa de præsenti pro vxore non habeatur, nisi κατ' ἐπιδαι, (vti loquitur Gratianus in *can. sic quippe, cauſ. 22. qu. 2.*) nec aliis iuribus, quam sponsa de futuro fruatur; & si cum ea concubat sponsus, ambo impingant in canones, despunctionem clandestinam interdicentes: quanvis liberi ideo non sint illegitimi *org. cap. 3. X. de clandest. despontat.* vid. *Cap. I. ſ. XII.* Add. Rittershus, *de different. iur. ciu. & can. Lib. I. cap. I.* & ab eo citatus

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

21

tus Iac. Cuiac. in Recit. Decret. ad Rubr. de sponsal. &  
matrimon.

§. VII. Differentiæ itaque inter sponsalia de præ-  
senti & de futuro, ex diuerso obligandi modo tantum de-  
sumendæ: quarum quatuor sequentes affert Beust. de  
*Sponsal. c. X.* (1) Sicut sponsalia de futuro possunt con-  
sensu contrahi, ita etiam dissensu dissolui, *cap. 2. X. de Spon-*  
*sal. Add. c. 1. f. XI.* At in sponsalibus de præsenti pene-  
tentia locus non est. Panorm. in *cap. super eod. de Condit.*  
*oppos.* (2) Sponsalia de futuro soluuntur iure canon. per  
sponsalia frequentia de præsenti, *cap. sicut ex liberis, 22. de*  
*Sponsal.* Sed sponsalia gemina de præsenti si contracta  
sint, priora præcedunt, licet ad posteriora accesserit con-  
cubitus, *cap. fin. X. de sponsal. duor.* (3) Sponsalia de futu-  
ro soluuntur, quando est tempus certum appositum;  
non vero sponsalia de præsenti *c. 22. cit. tir.* (4) Illa sol-  
uuntur per infirmitatem superuenientem, *c. f. de Coniug.*  
*lepros.* non tamen hæc, nisi dolus interuenerit. Vtraque  
namen dissoluuntur, subsæcuta fornicatione, *cap. 25. X. de*  
*Iure iuri.*

§. VIII. His ita, quantum satis, enucleatis, dito  
saltim communes aliquot, circa Iuris Pontificii hac in  
parte explicationem, occurrentes errores attingendi. I-  
taque (I.) non admittendum est, Pontifices ex solo sono  
verborum præsentis vel futuri temporis deducere suam  
distinctionem sponsaliorum, quod refutatum *supr. b. Cap.*  
*f. II.* Ex quo errore in (II.) incidit Cypr. *de sponsal. Cap.*  
*IV. f. 4. num. 2.* dum omnia sponsalia, etiam vera & pro-  
pria, de præsenti esse ait, ideo quod verbis præsentis tem-  
poris concipientur, v. g. do, despondeo; quasi vero sen-  
sus hic non esset de futuro, scil. contrahendo matrimo-  
nio. Deinde (III.) errant, qui Iure Pontificio sponsalia

*Notantur*  
*aliquot Dd.*  
*opiniones*  
*circ a banc*  
*doctrinam.*

de futuro nudos esse tractatus putant, in quam sententiam inclinare videtur Carpzov. *Iurisprud. Eccles. Lib. II. Dec. 18. num. 6.* Tot praclaros enim effectus producere non possent, quos recensui *§. VI. pr. b. C.* cum nudi tractatus nullam producere valeant obligationem. Nec etiam (IV.) parochum ad validitatem sponsaliorum de praesenti necessarium esse, dici potest, cum in nullo textu eius mentio fiat, & diserte Alexander III. *in cap. 6. collect. 1. vir. de Sponsal.* sacerdotem non requirat, verbis: *etiam si non intercesserit illa solennitas;* quam solennitatem omissem pauculo supra ita exprimit: *nullo sacerdotee praesente, nec adhibita solennitate, quam solet Anglicana ecclesia exhibere.* Vnde constetur Bellarminus, ipsos coniuges esse proprios huius sacramenti ministros, & formam eius in verbis, mutuum consensum experimentibus, confistere. Illustr. Dn. Stryk. *in Diff. Sponsal. Sect. III. §. 17.* Denique (V.) notari mereatur Speckhan, qui *cens. 2. class. 2. Qu. 3. n. 3. 4. & 6.* nuptias etiam quoad consummationem cum sponsalibus de praesenti coincidere, adeo ut inter ius ciuale & canonicum hac in re nullum sit discriminem, existimat. Id quod perperam asseri, probauit in *§. VI. b. cap. in fin.*

*Reiicitur ex-  
plicatio di-  
finetio.*

§. IX. Planior iam ad reliqua erit progressus, ex-  
cuso aliquanto fusius sensu Iuris Canonici. Hinc ante  
omnia, num valido fundamento institutum Pontificum  
nitatur, & an in praxin deduci possit, dispiciendum cen-  
feo. Sed neutrum affirmare possum. Fundamento sa-  
ne omni destituitur, (1) quia duo negotia diuersa, matri-  
monii sponzionem, ipsumque matrimonium, seu con-  
sensum sponsalitium atque matrimoniale confundit, &  
vtrumque eodem temporis puncto absolutum, quod certe  
contra matrimonii dignitatem, & ecclesiæ ordinationem  
est, quæ exigit, ut sponsalia nuptias antecedant, sintque  
primus

1024.

primus ad eas gradus ob varias rationes, quas tetigi *in fl.*  
*2. c. l.* (2) Quia in hancce doctrinam immisetur peruersus ille, & a nostratis toties refutatus, conceptus sacramenti, in quo vnica nexus illius indissolubilis, qui adesse debet in sponsalibus de præsenti, ratio ponitur, & propterea etiam sponsalibus de futuro, licet validam ex pacto producant obligationem, a Pontificibus immerito præferuntur. Sed nec commode in praxin deduci potest, cum verba, consensum sponsalium & matrimoniale exprimentia, nisi ipso tempore hæc negotia separantur, a vulgo hominum sœpe confundantur, genio linguae nonnunquam ambiguities sermonum inuolente, quod argumentum maxime mouit B. Lutherum, ut huic distinctioni dicas scriberet in Libello *vpon Ehe-Sa-chen*. Inde enim nata disputatio; quid in dubio præsumendum, num magis matrimonium, quam sponsalia in re voluerint partes? Clament vno ore canonistæ ex *cap. 7. b.* & eos secutus Carpzouius, *L. II. Def. 17. n. 10.* matrimonium, tanquam perfectius, esse præsumendum. Sed cum in interpretatione id sequendum, quod plerumque fit, *L. 10. C. de prob.* & quod conuenit substrata materia; certe ex intentione contrahentium pro sponsalibus potius præsumendum, quippe quæ nuptias semper præcedunt.

Add. Beust. *tr. de Sponsal. c. 8. & seq.*

§. X. Nec est, vt obuiiant, Pontificem hoc remedium obuiam iuisse mittendorum repudiorum nimia leui-  
*Ratio Ponti-  
 ficis impulsi-  
 tati.* Nam huic dubio optime occurrit Brouwer. *d. tr. na dilmitur.*  
*L. I. C. 2. n. 9.* rectius fecisse Pontifices, si veris sponsalibus, legitimorum contractuum vim, compellendi invitatos, adscriptissent, infamia notassent, qui binas sponsas simul haberet, & spem matrimonii violatam quasi adulterium perpetratum, ex iuris diuini & Romani dictamine seueriori  
*pœna*

pœna vindicassent, neque repudia permisissent, nisi sonitcam & iustum ob causam. Hac enim ratione totum, quod respexerunt, consecuti fuissent, nec necesse fuisset, conturbare sponsaliorum naturam, eorumque conventionem, quam de præsenti dicunt, confundere cum matrimonii contractu; atque veris sponsalibus efficacem obligationem, naturali & diuino iure firmissimam, negare.

*Cautelam illam Pontificis, nobis in utilem & non applicabilem esse, ostenditur.*

§. XI. Quæ cum omnia fere hodie ita se habeant, dum pœnitendi licentia procul remota, valida pacto sponsalio obligatio, postliminio quasi quaesita est, vid. cap. I. §. 9. in fin. hinc sua sponte fluit, cautelam peruersam pontificum, per sponsalia de præsenti mundo obtrusam, prorsus nobis non esse necessariam, ad constringendum validius sponsaliorum vinculum. Imo potius praxi consistoriorum nostrorum aduersatur, nec ad casus obuenientes applicari potest; quia restituta sponsaliorum natura, illa omnia de futuro sunt matrimonio ineundo, nec quisquam sponsalia initurus, de matrimonio ineundo cogitat, id quod communia quoque vocabula, quibus in vernalia ad exprimenda sponsalia utimur, v. g. das Ehe-Verlöbniss, das Versprechen, satis denotant, nam dum sponsionis atque promissionis matrimonii mentionem facimus, matrimonium inpræsenti contrahi negamus. Atque hinc merito fides habenda est Brucknero d. tr. Cap. I. num. 3. vbi dicit, se per aliquot annos in duobus diuersis consistoriis versatum esse, & tamen certo afferere posse, nullum omnino usum istius distinctionis se deprehendisse. Sed instas: si vero casus contingeret, vt præ nimio amore, ipsum matrimonii contractum, per verba de præsenti, despiciendi celebrarent, tunc sane adessent sponsalia de præsenti, & locus esse posset decisioni juris pontificii. Regero: non præcise ad verba, sed ad intentionem loquen-

loquentium respiciendum, & cum haec legibus conformatis esse presumatur, leges vero diuersa negotia, aliud sponsaliorum, aliud nuptiarum, constituerint; hinc nihilominus de sponsalibus cogitasse dicendum, verbis de praesenti ideo tantum adhibitis, ut per pensam voluntatem, se se nuptiis breui coniungendi, serio indicarent. Et cum nulla iurium communicatio adhuc facta sit, ad minimum in foro externo ille contractus nullos effectus producet, sed ex iustis causis æque ac sponsalia, Sacramenti nexu apud nos non agnito, dissolui poterit.

§. XII. Non immerito ergo miror cum Brucknero, distinctionem illam adhuc a multis, non tantum Theologis, sed & Ictis nostrarum partium, hinc inde adhiberi & defendi, ita ut & in euangelicorum consistoriis hucusque in aestimando sponsaliorum nexu utramque paginam effecerit, testante Illustr. Dn. Stryk. d. tr. Sect. I. §. 18. Et, si omnes Dd. in eadem explicanda, genuinum iuris canon. sensum secuti fuissent, certe res bene cessisset: ita enim textus, de sponsalibus de praesenti loquentes, non aliter, quam ad ipsum matrimonium applicassent. Sed a iure Canon. recedendo, illis contigit, iuxta illud Poëtae:

*Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charibdim.*

Nam dum ius pontificium strenue carpunt, quod verborum sono absque ratione in definiendis sponsalibus de praesenti & de futuro inhæreat; alio modo explicacionem ineuntes, sponsalia nostra pura, pro illis, quæ de praesenti dicuntur, acceperunt: sponsalia vero, vbi consensus adest conditionatus, vel ob defectum iustæ ætatis, veluti in impuberibus, vel quod expresse in certum euentum consensus suspendatur) sponsalia de futuro appellarunt. Lauterbach. *ad tit. ff. de Sponsal. conf. Gerhard. Loc. de Coniug.*

D

§. 130.

*Qua ratione  
anostris  
distin<sup>tio</sup>  
Sponsalio-  
ram reieca,  
explicetur.*

26 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

*§. 130.* Et cum B. Lutherus, quem autorem huius explicacionis faciunt, decidere nollet, num pura sponsalia (de praesenti,) conditionatis (de futuro,) quamvis postea extiterit conditio, præferri deberent; ICti hanc suam messem credentes, improuide iuris canon. decisionem ubique explicarunt. Ex quo magna confusiones ortæ. Exemplo potest esse *Cap. 2. X de Sponsal.* quod quam perperam a nostris applicetur, pluribus demonstrauit Dn. Stryk. *d. tr. Proœm. add. §. XVI. b. c.*

*Reiicitur ista explicatio.* §. XIII. Quin & ipsa allata explicatio, variis ex causis reiicienda, & quidem (1) quia confundit distinguenda: sponsalia iam efficiunt, vt hinc superfluum sit, aliis nominibus eadem insigniri, & entia præter necessitatem multiplicare. (2) Quia viciosa: nam si verba de praesenti & de futuro, hic accipientur, de consensu matrimoniali, qui vel praesens sit vel futurus: sponsalia pura non possunt dici de praesenti, quia omnia sunt de futuro matrimonio. Quodsi vero verba illa capiantur de consensu sponsalitio praesenti vel futuro, vti reuera sit; pura sponsalia quidem erunt de praesenti, at conditionata non erunt de futuro: vtut enim in his nondum adsit obligatio ad consummandum matrimonium, est tamen praesens obligatio ad expectandum conditionis eventum, ergo adsunt in praesenti sponsalia, vtut sint conditionata, neutri tamen parti pendente conditione ab iis recedere licet.

*Commodior additur.* §. XIV. Meliori multo iure dici possent sponsalia de praesenti, vbi adest praesens consensus sponsalitius, & praesens obligatio: sponsalia de futuro, vbi deficit iste consensus, & tantum futurus inducitur nexus ad ineunda sponsalia, v. g. his verbis: tecum sponsalia contraham, si aliquando matrimonium initurus sim. Ita enim priori casu sponsalia vere contrahuntur; posteriori casu tantum promit-

106.

promittuntur in futurum; & id operantur, vt ad sponsalia quidem ineunda cogi nequeam, attamen cum alia femina contrahere ea non possim, cum ex pacto, priori puellæ ius quæsum sit, vt impedire quælibet sponsalia valeat, quæ non cum ipsa ineuntur, in quo differunt a nudis tractatibus. Add. Illustr. Dn. Stryk. *cir. rr. Sect. I. §. 25.*  
*& 27.* Merito tamen abstineo a verbis istis, de præsenti & de futuro; & malo hoc posterius negotium, genuino vocabulo, cum Brouwero, appellare *sponsalium-sponsiones*, quæ sunt de contrahendis sponsalibus conuentio, Id. *d. rr. C. II. n. 1. seqq.* Nam cum dicta vocabula nullum præbeant usum, cautela est, vt potius omittantur; & ita occasio evitetur, in varia dubia & confusiones lectorum inducendi, ideo quod alio sensu hæc verba in iure pontificio soleant accipi.

§. XV. Quibus ita præmissis, nunc progredendum ad examen potiorum decisionum papalium, quæ fundantur in distinctione sponsaliorum de præsenti & de futuro, quatenus verae sponsalium naturæ conueniant, nec ne. Et deinde attendendum, quinam exinde nostratum errores in praxin introducti sint. Quoad prius, occurrit statim quæstio, num sponsalia de futuro (i. e. vera sponsalia) soluantur semper per sponsalia subsequentia de præsenti, (i. e. ipsum matrimonii contractum.) Id quod in *c. sicut, 22. X. b. 1.* affirmatur, addunt canonistæ rationem, ex sacramento interuentu petitam, quod omnino iuxta eos dissolutionem non admittit, *cop. i. X. de sponsa duor.* Sed hæc ipsa ratio ostendit, totam decisionem apud nos esse inuertendam: sublato enim vinculo sacramenti, sequitur, fidem primo datam esse seruandam, & pactum posteriori rescindi per prius; quippe non est in potestate sponsi, suo facto illicito, dum scilicet immemor

Examinan-  
tur Decisio-  
nes Pontifi-  
cum.

fidei, priori sponsæ datæ, contra diuina humanaque iura, cum alia femina sponsalia contrahit, eademque copula sacerdotali vel carnali consummat, se a validissimo priorum sponsaliorum nexu liberare, & ita priorem sponsam eludere: atque hinc sponsa priori vrgente dissolutionem posteriorum, pro ipsa pronunciaturum fuisse, testatur Ill. Dn. Stryk. *ad Brunnemann. Ius Eccles. Lib. II. Cap. XVI. s. 8.* vid. Berlich. *P. 4 Conclus. 25. n. 67.* Evidem solet communiter *L. Quoties 15. C. de R. V.* obiici vbi dicitur, si res vni vendita & alteri tradita, quod possessor sit potior. Idem ergo putant dissentientes locum habere debere in sponsalibus, cum plane eadem ratio vtroque casu adsit. Ast si non ad verba tantum sed & ad rationem legum respiciendum, diuersa plane vtriusque ratio est; cur enim possessor rei venditæ est potior? quia primus emtor nullum adhuc ius in ipsa re habet; sed in sponsalibus plane contrarium obtinet; ibi enim per sponsalia ipsa obligatur persona, ut vnum in personam alterius iam ius aliquod habeat, ac proinde posteriori possessori semper præferatur. Interim illimitatam coactionem nec hoc casu locum habere existimo; nam si quis inuitus præcise cogendus non est, ad consummanda sponsalia, licet nullum matrimonium postea contractum adsit; vid. *Cap. I. s. 10.* multo minus quis inuitus ad posterius matrimonium deferendum adigendus, aut vxori, & ipsi inuitæ, eripendus, & sponsæ priori addicendus est: sed ei quodammodo liberum esse debet, a quanam fese oblatione eius, quod interest, liberare velit. Maxime si secunda nupra, fuerit cognita, nec doli conscientia: sic enim re non amplius integræ, vix iniquitate careret, si per matrimonii dissolutionem peccatum pati deberet, quam non meruit, contra *L. sancimus C. de pæn.* quem in modum etiam corrigit Beust.

de

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE. 29

*de sponsal. C. 10. n. 12.* ius pontificium, ex geminis sponsali-  
bus de præsenti priora indistincte præferens *in c. fin. X. de*  
*spons. duor.* Reliquas decisiones Pontificum, v. g. quod a  
sponsalibus de futuro mutuo dissensu recedere permit-  
tant *in c. 2. X. de sponsal.* sponsalia de præsenti sub conditio-  
ne contrahi posse negent *c. 1. X. de cond. appos. &c.* quas vi-  
dere est *in s. VII b. C. conf. C. III. f. II* nullum inconueniens  
in se habent, si modo per sponsalia de futuro, vera sponsa-  
lia, per sponsalia de præsenti ipsum matrimonium, quod  
indissolubilitatem etiam apud nos operatur, intelligamus.

§. XVI. Ex dictis iam facile patet vnde veniat  
quod multi ex nostris, plures circa hanc materiam fove-  
ant errores, quam ipsi canonistæ, quorum principia ad-  
huc aliquo modo cohærent. Dum enim nostri non tan-  
tum sponsalia vera, ipsis de præsenti dicta, indissolubilia  
dicunt; pura semper conditionatis præferenda esse, vo-  
lunt; atque in genere conclusiones ex iure canon. quæ  
de sponsalibus de præsenti loquuntur, suis de præsenti,  
quæ tamen sunt de futuro, & istas, quæ sponsalia de fu-  
turo respiciunt, suis de futuro, i. e. conditionatis, appli-  
cant: non possunt non, opiniones fouere, a genuina  
sponsaliorum natura omni modo deslectentes. Contra  
qui, quæ diximus, recte considerabit, facile omnes er-  
rores evitabit. Plura hic speciatim adferri possent: cum  
vero omnia in hac materia ex illis principiis iudicari pos-  
sint, plura non adiicio.

*Causa va-  
riorum erro-  
rum inter  
Dd. nostros.*

## C A P V T III.

*De Sponsalibus puris & conditionatis.*

## §. I.

CVm itaque sponsalia pura & conditionata, a sponsali-  
bus de præsenti & de futuro distincta sint, per iam *Quid sim*  
*Sponsalia pu-*

## 30 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

*ra & condi.  
tionata.*

tradita; nunc de illis in specie dicendum est. Sunt autem sponsalia pura, quæ puro & simplici contrahentium consensu inita sunt: conditionata vero, vbi consensus est sub conditione suspensus. Atque hoc omnino fieri posse, vt sponsalibus conditiones addantur, ideo, quod totum hoc negotium ex consensu contrahentium dependent, adeoque liberum quoque ipsis sit, eundem vel pure vel sub conditione interponere, contra Franc. Hotmanum, optime demonstrauit Brouwerus, *de sponsal. c. 21. n. 2.* ita enim Hotmanus infert: promissionem conditionalē suspendere obligationem, incertumque relinquere, virtutē res debeatur vel non, *l. 64. D. de O. V.* at sponsalia iure diuino obligationem parere, vt sine adulterii crimine sponsa alii nubere haud possit; per consequens sponsalia non admittere conditionem: sed non attendit, pure tantum sponsalia contracta parere obligationem iure diuino; sub conditione autem contracta, obligationem suspendere, & committi tum demum stipulationem, cum conditio existit, scilicet ex natura rei. Interim hoc non obstante, adulterii rea esse sponsa potest, quæ pendente conditione, si ea modo postea existat, pudorem suum alteri prosternit, *arg. l. 64. ff. de V. O.*

*Quæ in iure  
canon. singu-  
laria occur-  
rant circa  
hanc doctri-  
nam.*

§. II. Ut autem inoffenso pede in hac materia procedere possim, primo omnium quadam singularia hic de iure canonico adducam, vt textus, de sponsalibus conditionatis loquentes, melius intelligi, & omnis confusio evitari possit, quæ ex peruersa eorum applicatione in nostra foro introducta. Sciendum itaque, & his casibus Pontifices adhibere distinctionem sponsaliorum de praesenti & de futuro. Quodsi his de futuro adiiciatur conditio, nihil vel a iure naturæ, vel a iure ciuili, diuersum statuunt; *cap. 3. & 5. X. de cond. appos.* hinc de his nunc non labo-

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE. 31

laborandum. Si sponsalibus de præsenti adiiciatur, tum regulariter omnem conditionem pro non adiecta habent, siue sit honesta & possibilis, ut in cap. i. b. siue turpis, & quæ cum hac pari passu ambulat, impossibilis, cap. vlt. eod. Nam cum in sponsalibus de præsenti, consensus matrimonialis de præsenti interponatur, & ita ipsum contrahatur matrimonium; sequitur ex natura rei, omnem conditionem iis adiectam, esse resolutuam, cum, qui verbis præsentibus contrahit, si reuera animum, se se in præsenti obligandi habet, actum conditione suspendere nequeat, nisi velit contraria. Atqui vero sponsalia de præsenti, siue matrimonium, tale quid non fuit, quod si semel firmum sit, postmodum nulla ratione dissolui possit, ob perpetuam durationem, quam ex lege diuina habet, quod fecus est in aliis contractibus. Ergo prono exinde fluit alueo, omnem conditionem, eo quod semper sit resolutuam, matrimonio adiectam, effectu suo destitui, atque ita pro non adiecta haberi, ne contractum semel coniugium, ob incertum conditionis exitum, in periculo sit, ut aliquando ea existente, resoluatur: vnde apponens matrimonio de præsenti talem conditionem, tantum intelligit exigere obligationem, non vero ea non adimplera consensus subtrahere, quem de præsenti præbuit. Cuiac. Recit.

in Decret. c. i. X. b. t. vid. Gonzal. ad cap. i. X. eod.

§. III. Caeve tamen, ne ex solo verborum sono *Quenam conditiō prie fut resolutua.* consensus de præsenti astimes, cum propter aliquod adiunctum, consensus de præsenti in consensus de futuro mutari possit, ut si quis dicat, accipio te in uxorem, si ante parentes mei consenserint, erit enim hic consensus de futuro, propter voculam alternantem. Sanchez. de Matrim Disp. 18. n. II. Ad quem casum restringo verba final. cap. 3. X. b. t. *Huiusmodi consensus nequaquam de præsenti bandus,*

32 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA.

bendus, licet per verba de præsenti euidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. Quin imo nota characteristica conditionis resolutiuae est, vt quoad existentiam, negotium, cui accedit, sequatur, & nonnisi, contracto eo, adimpleri possit, qualia exempla refert Gregor. IX. in cit. cap. vlt. Vnde si conditio aliqua consensui de præsenti addatur, quæ ante nuptiarum consummationem adimplenda, eo ipso consensus de præsenti, vim consensus de futuro accipit, & sic abusue verba de præsenti eo casu adhibentur, cum proprie tantum desponsationi ista conditio addi potuisse, vt inde non matrimonium, sed sponsalia celebrata censeantur. Quod nouum non esse, vt consensus, qui non est sufficiens ad matrimonium, inducat sponsalia, probauit Gonzal. ad cap. fin. de desponsat. impub.

Quid si conditio turpis, substantiam matrimonii infringens, adiecta sit.

§. IV. Dixi autem §. II. regulariter conditionem pro non adiecta haberi: nam vnico casu, si scilicet conditio turpis fuerit, substantiam matrimonii infringens, ipsum matrimonium vitiatur, & propter illam resoluitur, cap. 7.b. cum enim sine substantia nihil subsistere possit, conditiones vero illæ repugnant substantiæ matrimonii, etiam ipsum matrimonium irritum reddi videtur Pontifici. Sicut omne pactum appositum contra substantiam actus, illum vitiat l. 80. s. fin. ff. de contrah. emtione. Substantiam autem matrimonii infringens conditio, Pontifici dicitur illa, quæ consensum matrimoniale tollit, & vti loquuntur canonistæ, vnum ex tribus matrimonii bonis, quæ sub illo consensu legitime præstito, continentur, problem scilicet, sacramentum aut fidem, excludit, id est, vel generationem prolis, vel indissolubilitatem matrimonii, vel fidem reciprocam coniugalem: quales sunt, si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis euis:

tes;

104.

tes; vel donec inueniam aliam honore vel facultatibus dignorem; aut si pro quæstu, adulterandam te tradas. Quæ referuntur *in cap. vlt. de Condit. appos.* harum enim quælibet vnum ex recensitis matrimonii bonis eludit. Atque his decisionibus & nos in praxi acquiescere eo facilius possumus, quod & nos matrimonium pro indissolubili habeamus, & reuera tale sit, vt nec sub honestissima conditione resolui possit. Add. Illustr. Dn. Stryk. *de Diff. sponsal. Sect. II. f. 22.* adeo vt hinc etiam si conditio, substantiam matrimonii infringens adlecta sit, itidem matrimonium non rescindi, merito putet *Id. d. l.* Cauendum autem ne illa quæ in iure can. de sponsalibus de præsenti tanquam ipso matrimonio dicuntur, nos ad sponsalia nostra, quæ non sunt matrimonium, applicemus.

§. V. His ita quoad ius Pontificium præmissis, ad genuina sponsalia me rursus conuerto. Quæ cum per modum paeti ineantur; ad regulas communes iuris ciuilis, de conuentionibus puris & conditionatis agentes, facili opera examinari poterunt. Et hinc constat, in sponsalibus puris & cessisse & venisse diem, ita vt debeantur & peti possint nuptiæ; in conditionatis nec cessisse nec venisse diem, pendente adhuc conditione; i. e. obligacionem & actionem ex incerta conditionis existentia suspensas pendere, *arg. L. 213. D. de V.O.* Quod tamen capiendum de conditionibus expressis, seu quæ sui natura non insunt contraetui, sed ex stipulatione contrahentium adiiciuntur. Non vero de conditionibus tacitis, quæ citra stipulationem, vel sui natura, vel potestate legum, sponsalibus insunt v. g. si generationi aptus sit, si virgo sis, si pater consentiar, &, in genere clausula, rebus sicstantibus, de quibus *in c. quemadmodum, 25. de iure iur.* Hæ enim sponsalia conditionata non faciunt licet exprimantur, *arg.*

*Sponsalia  
pura & con-  
ditionata ad  
regulas iuris  
ciuilis ex-  
aminanda.*

*Conditiones  
sunt vel ex-  
presso vel  
tacite.*

## 34 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

*I. 21. de Cond. & Demonst. I. 48. de V. O.* cum quæ tacite insunt, non mutent naturam actus, quamvis maioris securitatis gratia proferantur, *org. I. 3. C. de Fideiuss. & mandat.* Dissent. Abb. & Felin. *inc. 2. n. 1. de sponsal.* Non leue itaque discrimen est inter conditiones expressas & tacitas, illæ vim dant sponsioni, cùm existunt; hæc cum deficiunt, tollunt sponsalia, quoad obligationem pure contracta: conditionum expressarum existentia requiritur, ut nascatur obligatio; in tacitis conditionibus requiritur, ut res ita maneat, sicuti creditur esse, ne alias stipulatio pure contracta resoluatur: illæ itaque sponsaliorum obligationem ipsam suspendunt, hæc obligationis actionem extumque, docente Broutero *d. tr. C. 21. n. 9.*

*Quenam  
conditiones  
admittantur  
in sponsali-  
bus.*

*S. VI.* Expressæ conditiones maxime huius loci sunt: & in contrahentium arbitrio est, quam ex iis sponsalibus adiicere velint, quæ si semel placuerit, inter contra-hentes seruanda est. Siue ad coniugium pertineat, siue non, quam distinctionem quorundam merito reiicit Cypræus *de sponsal.* *C. 8. f. 5. n. 1.* siue sit pecuniaria, v. g. de quantitate dotis disponens, siue alia, *cap. 3. X. de Cond. app.* modo sit honesta. Nec obst. *I. 97. f. 2. ff. de V. O.* vbi inquit Celsus, *si tibi nupsero, decem dari sponsales, causa cognita de- negandam esse actionem puro.* Nam per hanc conditionem donatio conferitur in tempus matrimonii, & quodammodo venale redditur matrimonium *I. 2. ff. de don. int. vir. & ux.* & sicut non valet talis promissio constante matrimonio, *I. 3. f. 9. eod.* ita neque valebit, si in id tempus promissio conferatur, *I. 4. C. de don. ante nupt.* quæ omnia secus se habent si sponsalia sub hac conditione suspendantur. Add. Cypræus *de sponsal.* *Cap. VIII. f. 5. n. 1.*

*Av valeat  
condicio  
surpis.*

*S. VII.* Turpem autem conditionem sponsalibus adiici non debere, omnes consentiunt. Quænam vero sit

sit turpis conditio, optime declaratur in l. 13. ff. de condit. inſtit. scilicet, qua laudunt piezarem, exiſtimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt. De specialibus caſibus, quodammodo dubiis, conſule Dn. Ludouici *Diff. de condit. sponsal. impossib. ſ. 33. 34. 35.* Sed si talis conditio tamen adiecta, quid operetur, maxime controuerti ſolet. Carpzou. *Iurispr. Confift. l. 2. d. 2. d. 23. n. 5. seqq.* commu- nem doctorum ſententiam ita proponit, diſtinguendo, an condições inſerantur contra ſubſtantiam matrimonij, v.g. contra ho tecum ſi generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam diriorem, &c. atque hoc caſu inualida eſſe ſponsalia, atque effectu carere. An vero condições non ſint contra ſubſtantiam matrimonii, ſed alias turpes, v.g. ſi homicidium aut furtum commiſſeris, & hoc caſu valere ſponsalia, & condição haberi pro non adiecta. Quæ ſenter tia deſumta eſt ex cap. vlt. X. de cond. appof.

§. VIII. Sed huic opinioni me haud ſubſcribere permittit, ex natura ſponsaliorum petita regula, quam tradidi §. V. quod ſclicet iure pactorum gaudeant ſponsalia, quia conſensu conſtant. Atqui vero generaliter conſtitutum eſt, turpes stipulationes (ſeu paēta, quæ apud nos vim stipulationum habent) nullius eſſe momenti, l. 1. ſ. 11. l. 26. ff. de V.O. ergo idem quoque in ſponsalibus, ſub turpi conditione initis, locum habebit, ſiue illa condiſio ſubſtantiam matrimonii concernat, ſiue non. Et ſane maniſta ratione hæcce diſpositio gaudet: nam cum, vti ſæpius diectum, omnis validitas & obligatio ſponsaliorum ſit ex mutuo contrahentium conſenſu, inde deducitur, vbi non adeſt verus conſensus, ibi etiam inualida adeſſe ſponsalia. Verus autem conſensus deficit du- pli modo, vel quod partes reuerain idem placitum haud

## DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

sentiant, vbi deficit voluntas; vel quod consentiant in id, in quod consentire non possunt, ob prohibitionem legis, quo casu deficit facultas. Vtroque modo deficit consensus in conditione turpi. Ita v. g. Meuia Titio sese deponens sub conditione, si Sempronium duello occiderit, non aliter consentit, quam si hoc fecerit, si ergo hoc factum non fuerit, deficit Meuiæ voluntas. Quodsi vero Titius etiam hoc facere velit, & ita in idem consentiat, deficit tamen hoc casu facultas consentendi ab utraque parte, quia est contra prohibitionem legis. Vnde & omni casu, siue conditio turpis concernat substantiam matrimonii, siue non, cessat consensus, & sic inualida sunt sponsalia. Hinc cum utroque casu eadem adsit ratio, nulla quoque admittenda distinctio, aut diuersitatis ratio ostendenda. Regeris; adeo omnino rationis diuersitas: nam priori casu vitiantur sponsalia, quia contraria insimul stare non possunt, contraria autem sunt, matrimonium contrahere velle, & conditiones addere, eius substantiam destruentes; posteriori vero casu vitatur conditio turpis, & sponsalia subsistunt, quia dum conditio repugnat substantiæ actus, fauor matrimonii iam locum habere & iudex eandem pro non adiecta declarare potest; maxime vt ita succurratur imbecilli sexui, qui se sub eiusmodi mendaciis seduci patitur. Sed vt, quæ de substantia actus allata, intæta relinquam; scire vellem, quinam ille fauor matrimonii esset, qui inuitos & dissentientes contra diuina humanaque iura coniungit, vt commode cum Illustr. Dn. Thomas. *Dsp. de valid. coniug. inuitis parentibus contract.* s. 8. huc trahere possim, mutatis mutandis, illud Traiani Imperat: *Is fauor, qui matrimonio datum est, ut quoquo modo declarata voluntas contrabentum rotetur, sic intelligi debet, ut utique prius confundere debeat, matrimonium*

num

*uium contrahentes inire voluisse.* Quod de seductione imbecillis sexus additum, hic impertinens est, nam de sponsalibus sermo est, ubi regulariter res adhuc est integra: quin si vel maxime copula accederet, dicendum, non alter ac stupratorem eiusmodi hominem fore coercendum, nisi peculiaris constitutio aliud disponeret, cum sponsalia, quae nulla fuere, per copulam non potuerunt transire in matrimonium, etiam de iure canon. Verum si dicendum, quod res est, nimium Carpzouius confidit constitutioni pontificiae *in cap. vlt. X. de cond. appos.* eamque more suo, licet de matrimonio disponat, ad sponsalia de futuro applicauit. Sed illud cap. plane non obstat, iam §. II. probauit, loquitur enim de matrimonio, sub turpi conditione contracto, non rescindendo; non de promisso sub tali conditione, coniugio, contrahendo.

§. IX. Idem prorsus dicendum de conditione impossibili. Quamuis enim Doctores hanc itidem pro non adiecta habeant, Carpzou. *d. def. 23. n. 1. 2. ob cit. cap. vlt.* *ta-*  
*bili.* *De conditio-*  
*neimpossi-*  
*bili.*  
 men & in hoc casu a Pontificis mente alieni sunt, dum & de naturaliter impossibili conditione plane non loquitur & insuper falso fundamento, ficto scil. fauore matrimoni, mituntur. Adeoque hanc quoque conditionem sponsalia vitiare, verius est, partim quia deficit consensus, non impleta conditione: partim quod magis iocari & ludere, quam serio sponsalia contrahere voluisse partes censenda sint Struu. *S. I. C. Exerc. XXIX. f. 6.* Imo conditio impossibilis potius dissensum, quam consensum inuit, quem idcirco ne quidem ecclesia inducere aut presumere potest, docentibus ipsis canonistis, Sanchez. *de Matrim. disp. 27.* Ex qua fana disputandi ratione, conditionem impossibilem omnes contraetus vitiare, voluerunt Icti Romani, *l. 31. D. de O. Et A.* Quamuis in ultimis volun-

38 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

tatibus ob rationem specialissimam aliud statuant, *ſ. 10. I.*  
*de ber. inſt.* Vid. Dn. Ludou. *in cit. Disp. ſ. n.*

*Sponsalia  
conditionata  
quam obli-  
gationem  
producant.*

§. X. Quodſi itaque sponsalia ſub conditione poſ-  
 ſibili & honesta contracta, tum vtique ſuam producunt  
 obligationem, ſed non illam, quam sponsalia pura. Hæc  
 enim per ſuperius demonstrata, obligant ad conſumman-  
 dum matrimonium, illa non, ſed ad expeſtandum conditionis  
 euentum, & tum ſi ea existat, ſtatiuſ ſponsalia ra-  
 ta & vera erunt, vt matrimonium promiſſum intelliga-  
 tur, abſque alio aetū vel nouo conſenſu interueniente,  
 ad inſtar alterius alicuius conuentiōnis. Abbas Panorm.  
*in cap. ſuper ea X. de Cond. appos.* Atque hinc neutri parti,  
 inuita altera, reſilire permiſſum, ſed expeſtare debent  
 conditionis euentum. Vti hoc & agnoſcit & rite deſen-  
 dit Carpzouius *d. l. 2. def. 21.*

*Poteſt tamen  
conditioni  
renunciari  
velexpreſſe  
vel tacere.*

§. XI. Vti vero conditio vtriusque conſenſu ad-  
 iecta, ita haud dubie etiam vtriusque conſenſu renuncia-  
 ri eidem poſteſt. Id quod vel expressis verbis fit, vel ta-  
 cite & ipſo facto copula carnali accedente, *c. 3. & 6. b. r.*  
 poſt ſponsalia ſub conditione contracta. Dum enim  
 concubuerunt contrahentes, videntur a conditione re-  
 ceſſiſe eo ipſo, dum eventum conditionis non expeſta-  
 runt, *Cap. 3. & 6. b. r.* Carpzou. *d. l. 2. def. 25.* Nec audiendus  
 Brouwerus, *Cap. 21. n. 31.* afferens, cum moribus matrimoniū  
 non ex ſolo contrahentium conſenſu, ſed praecedentibus  
 nuptiarum ſolennibus perficiatur; falſum eſſe, quod  
 ſponsalia vel de futuro vel conditionata tranſe-  
 ant in matrimonium per ſubsequētem corporum con-  
 iunctionem. Nam moribus adhuc conſenſus ſolus eſt  
 eſſentialis matrimonii; quamuis de iure canon. publicæ  
 denunciationes, & ecclesiæ totius conſenſus ad nuptias  
 perficiendas requirantur, *r. r. de Deſponſ. clandeſt.* Aſt eo  
 non

non obstante, quoad vinculi indissolubilitatem, sponsalia per concubitum sunt matrimonium: hinc nullum videtur subesse dubium, quare non eadem iuris canon. dispositio apud nos attendi debeat. Illud Brouwero facile largior, quod habet n. 20. *ibid.* sponsalia, sub conditione impossibili vel turpi contracta, non conualidari per copulam subsequentem, (de quo tamen casu *d. cap. 3. & 6.* non agit,) quia vbi nullus vñquam consensus sponsalitius adfuit, ibi nec transire potest in matrimonium, nam non entis nulla sunt qualitates.

§. XII. Haec tenus de casu dictum vbi vtriusque consensu, vel expresso vel tacito conditioni renunciarunt contrahentes. Videndum nunc an etiam vñus, altero inuito, eidem renunciare possit. Id quod Carpzou, affirmat. *d. l. 2. def. 24.* indistincte. Sed omnino distinguendum: aut is, qui mentionem fecit sponsaliorum, sub conditione futurum matrimonium stipulatus est; aut vero re promittens denum, pure stipulanti, conditionem adiecit. Priori casu cum & stipulans & promittens non aliter quam sub conditione consenserint, sequitur, vtrique ius exinde quæsitum esse, adeoque neutrum absque altero leges contractus immutare, & conditioni renunciare posse, qui casus est §. præced. XI. In casu vero posteriori, is qui stipulatus erat pure; conditionem, a re promittente adiectam, vel acceptauit, inque eam consensit, vel non: si non consensit, sed rem in pendentí reliquit, non obligabitur, licet alter conditionem remittere velit, *arg. s. 5. de inuril. stipul.* Quodsi vero eandem acceptauerit, eiusque adimplectionem in se receperit, eum pure consensisse a sua parte putat Struuius, & eatenus probat sententiam affirmantis Carpzouii, *in S. I. C. Exerc. 29. s. 5.* cui consentit Schilt. *I. I. C. L. II. t. 10. s. 4.* Sed ego mixtum

*Num vñus  
inuito altero  
renunciare  
possit.*

hoc

## 40 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

hoc obligationis genus, vbi alter pure, alter sub conditio-  
nione obligatur, admittere nequeo: nam si res probe in-  
spiciatur, natura obligationum conditionalium non vide-  
tur alterata, cum hic casus tantum inuersus sit, & ita non  
aliter differat a priori, quam quod in vno conditio incep-  
perit a stipulante, in altero a re promittente; & cum de-  
mum per acceptationem conditionis, confensus in idem  
placitum interueniat, nec conditionem adiiciens, in plus  
alterum obligare possit, quam quod ipse acceptauit; se-  
quitur, quod is, qui mentionem sponsaliorum fecit, condi-  
tioni adhaerere, & ex ea sibi ius querere possit, quod  
alterius gratuita renunciatione illi auferri nequit. Mo-  
do interesse allegare possit is, qui a conditione recedere  
haud vult, vt contingere posset in hac conditione; *Ich  
will dich haben, wenn du eine Bedienung bekommst.* Ali-  
ias si interesse allegare non valeat, vt contumax & mali-  
tiosus, recte ad sponsalia consumimanda iudiciale autorita-  
tate adstringitur, quo refero praejudicium supremi con-  
sistorii Dresdensis, a Carpzouio d.l. relatum: vbi talis erat  
conditio: *wenn du deine Sache wirst ausführen.*

*Conditiona-  
ta priora an  
präferenda  
sint puris  
postero-  
ribus.*

§. XIII. Restat, vt de celebri quæstione dispiciam,  
si quis bina contraxerit sponsalia, & primo quidem condi-  
tionata, postea vero cum alia pura, quænam præferenda  
sint? Et communiter præferuntur pura. vid. Carpzou.  
*l. 2. d. 70. Brouwer. d. I. connub. l. 1. c. 21. n. 3.* Sed cum nulla  
differentia ratio inter sponsalia & reliquos contractus dari  
possit; in his vero nemo a contractu resilire possit, imo  
euentum conditionis expectare necesse habeat, *l. posterior, II.  
l. qui balneum, 9 ff. qui por. in pign. sic & illi, qui sponsalia sub  
conditione contrahunt, ius non habent, pendente condi-  
tione, aliam obligationem suscipiendi. Retrotrahitur e-  
nim existente conditione, obligatio ad tempus contra-  
Etus,*

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE.

Etus, per d. text. Vnde & nullum dubium est, quod, sicuti creditor, qui sub conditione debetur, omnia agere potest, quæ ad securitatem crediti pertinent, l. 6. ex quib. caus. in poss. eatur l. 4. de separat. ita & sponsa, cum qua sponsalia sub conditione contracta, impedire possit sponsalia post superuenientia, quamvis pura, vid. Cypr. C. 8. n. 3. quia in sposo deficit facultas consentiendi, adeoque eiusmodi sponsalia nulla erunt. Respondet quidem Carpzou ad hæc argumenta, & suam sententiam præiudiciis confirmat. Verum enim vero, in præiudiciis, quæ adfert, habentur sponsalia clandestina & conditionata, vnde merito non propter conditionem, sed ob clandestinitatem (impropriam scilicet, seu quando absque parentum consensu sponsalia contracta) posthabentur, obseruante Schiltero ad ff. Ex. 36. §. 23. qui & ad rationem contrariam quam Carpzouius n. 14 adducit, quod scilicet prior obligatio tollatur per posteriorem, adeoque conditionis euentus ad eam retrotrahi non possit, respondet, quod petat τὸ εὖ ἀπεχθῆναι. Nam quis concedit eidem, priorem obligacionem per posteriorem tolli. Nec obstat, quod num. 13. affert, conditionem nondum adimpltam nihil ponere in esse, l. 123. ff. de V. S. sed id ita demum verum est, ut nulla exinde praesens nascatur obligatio, ad negotium, quod sub conditione pendente promissum est, consummandum: interim tamen producit perfectam obligationem, ad expectandum conditionis eventum, a qua obligatione neutra pars suo proprio facto se liberare potest. Quin imo aliam superinducens obligationem, committit crimen benorum sponsaliorum, & ita ex delicto quidem reipublicæ tenetur ad pecuniam, non vero ad implendam obligacionem, non iure factam. Schilter. d. lin fin. Conf. Brucknerus Dec. Matr. c. 4. n. 16. seqq. Canonistas si attendamus, illi

F

omnes

42 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

omnes , teste Panormitano *in cap. 5. X. b. 2.* sponsalia de præsenti præferunt conditionatis, sed ideo, quia diuersa a nostratibus agnoscunt principia, nam illorum hæc est regula: sponsalia de præsenti semper præcedunt ea de futuro *c. 22. X. de sponsal.* Atqui vero conditio suspensiva, siue accedat consensui de præsenti, siue de futuro, semper in effectu facit sponsalia de futuro, per demonstrata *§. 2. & 3. b. C.* quæ non possunt non per sponsalia de præsenti subsequentia dissolui. vid. tamen *§. penult. C. II.* At, quod sponsalia conditionata per alia de futuro, quamvis sint pura, soluantur, de quo casu nobis hic loci sermo, ex iure canonico nullus mihi monstrabit Carpzouius. Quin potius, cum is casus non expressus sit eo iure; dicendum est, pontifices, iuxta tradita *§. 2. b. C.* in sponsalibus de futuro conditionatis a iure ciuili ne hoc quidem casu diuersi quid statuisse, cum hic cesset ratio sacramenti, quæ eos alias induxit, in sponsalibus de præsenti, a communibus iuris regulis recedendi. Add. D. Gerhard. *in loco de Coniug. §. 138. pag. 221.* Dn. Præses *Diss. de religi. sacram. in matrimon. cap. 2. §. 16. seqq.* vbi *§. 18.* Carpzouiū manifestæ contradictionis conuincitur.

CAP. IV.

*De*

*Sponsalibus publicis & clandestinis.*

*§. I.*

*Quæ sine sponsalia publica & clandestina.* **S**Equitur nunc alia diuisio sponsaliorum, non minus vistata, quatenus scilicet inter sponsalia publica & clandestina distinguitur, ratione rituum & solennitatum, quæ in iis adhibentur. Vnde sponsalia publica dicuntur, quæ palam coram testibus fide dignis constituuntur: econtra clan-

clandestina, quæ nullis adhibitis testibus inter virum & mulierem clam contrahuntur. Duobus modis autem clandestina sponsalia in ecclesiis protestantium solent intelligi (1) stricte & proprie, quæ nullis adhibitis testibus inter virum & vxorem, & quidem sui iuris contrahuntur (2) late & improprie, quæ sine consensu parentum contrahuntur inter eas personas, quæ sui iuris non sunt, sed in potestate parentum. Idque siue vtraque persona, siue alterutra tantum, sit in parentum potestate, siue præsentibus testibus, siue non. Cypr. *de sponsal. C. X. s. i.* Petr. Heig. q. 22. Atque huic distinctioni ea vis tribuitur, ut sponsalia publica quidem sint valida & perfecta; clandestina autem in vitroque casu recensito inualida. Carpzov. *Z. II. def. 33. &c. 38.*

§. II. Hac distinctione, quem ortum habeat, & ex quo iure descendat, ante omnia disquirendum. Priusquam vero id fiat, duo sponsaliorum clandestinorum genera separanda sunt: illud, quod impropriæ hoc nomine venit, siue ubi deficit parentum consensus; re quidem at non nomine, iuri naturali & ciuili est cognitum, *si. si aduersus I. de Nupt.* nam sponsalia ob defectum consensus paterni clandestina, omni iure illicita sunt, nec ullam producunt obligationem, cum iure refragante sint inita, *arg. l. 5. C. de LL.* quæ quia huius loci non sunt, dum potius ad tractationem de habilitate personarum matrimonium contrahentium pertinent, hic explicare supersedeo. Præsertim cum otium hac in parte mihi iam fecerit Dn. Præses in Dissertatione nuperrime habita *de iure & qualit personarum. matrim. contrab. cap. 1. s. 20. usque ad s. 26.* Add. etiam Rittershus. *de differ. iuris ciu. & con. C. 2. per ter.* Aequiuocatione ita sponsaliorum clandestinorum remota, in aperto est, distinctionem inter sponsalia publica & clandestina, iuri di-

*Vnde ortum  
trahat hec  
distinctione.*

*Non ex iure  
naturali.*

44 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

uino & naturali esse incognitam: consensus enim ad matrimonium sufficit, modus autem declarandi consensum sponsalitium, an coram testibus fiat, an sine illis, nec diuino nec naturali iure determinatus est, adeoque in foro animæ ligare contrahentes sponsalia clandestina, confiteri tenetur alias nobis contrarias. D. Muller. *in Dissert. Rostochii habita, de sponsal. sine testibus contract.* Cap. I. f. IX. n. 56. Conf. Dn. Præfes cit. *diss. de Reliqu. Sacram.* c. 2. f. 20. Imo nec iuris ciuilis textus ea de re extat, prodire enim non sunt solennitates sponsalitiae in legibus Romanis, neque de occultis despousationibus vlla mentio fit; forte ideo, vt auguratur Brouwerus I.I.C. 2. n. 15. quod superuacuum Iurisconsultis aestimatum fuerit, de probatione enrum agere, a quibus & probatis, & in præsentia necessariae contrac̄tis, resiliendi vtrique parti integrum erat, I.I.C. de sponsal. Vel potius, quia ius Romanum, lege scripta id non iubente, in nullo actu, merum consensum requirente, vel testes vel scripturam exigit, vt his deficienibus actus esset nullus. f. 1. I. de Obligat. ex consens. Nullum ergo dubium est, quin Ddres ex iure canonico doctrinam suam de publicis & clandestinis sponsalibus hauserint; nam non tantum (1) eo iure demum vocabula desponsationum publicarum & clandestinarum adhibentur; sed & (2) textus eam in rem a nostratisbus ex iure canon. & præcipue ex tir. X. de clandest. despousat. allegantur. Quin & (3) clarum huius rei indicium præbere videntur ordinationes ecclesiasticæ, quarum nonnullæ illam distinctionem approbat; has autem, cum breui post reformationem B. Lutheri conscriptæ sint, in causis connubiorum fere ~~xvta pôda~~, ius canonicum sequi, nemio inficias ibit. vid. Dn. Præfes cit. I. f. 19.

§. III. Sed grauiter huic assertioni obstarere vide-  
tur

*Nec ex iure  
ciuilē.*

*Sed ex iure  
canonico.*

*Obiectio Cy-*

## SPONSALIORVM ET DIVISIONE. 45

tur Cypræi obiectio, quam habet d. tr. C. 10. §. 3. sponsalia *prei resol-*  
*apud omnes gentes palam facta fuisse. Magis ergo ex uitur.*  
*iure gentium, quam iure canonico ad nos distinctionem*  
*istam peruenisse, dicendum. Adducit exempla Hebræ-*  
*orum, Græcorum, Romanorum, atque Germanorum;*  
*tandem & Persas Afrosque commemorat, qui omnes*  
*sponsalia vel coram amicis, vel inter pocula, vel in ipsis*  
*etiam templis contrahere sueuerunt. Sed quod gentes*  
*istas barbares, Afros Persasque speßtat, sit fides penes*  
*autorem, quem Ioan. Leonem dicit Cypræus, certe eo-*  
*rūm mores ad nos haud peruenisse, palam est. Quod*  
*ad ceteras gentes, quæ nos proprius tangunt, & quorum*  
*instituta etiam apud nos in usu esse quis suspicari posset,*  
*notandum (1) quod partim Cypræus nuptiarum solen-*  
*nia & sponsaliorum confuderit, ita enim statim incipit d.*  
*§. 3. Sponsalia & nuptias palam fieri voluerunt, clandestinas nup-*  
*tias & in solitudine factas dannarunt. Subiicit exemplum*  
*Boozī, qui Rutham ducturus decem senatores ut testes*  
*accerſiuit, se Rutham in vxorem duxisse. Quid autem*  
*manifestius, quam hic de nuptiis, non de sponsalibus ser-*  
*monem esse. (2) Confundit sponsalia clandestina, pro-*  
*prie sic dicta, cum illis, vbi deficit parentum consensus.*  
*Nam exempla, quæ a Romanis petit, pleraque talia sunt,*  
*vbi pater filiam despondet. Deinde (3) id quod plerum-*  
*que fit ex more recepto, miscet cum eo, quod fieri ne-*  
*cessario debet, ex legis dispositione. Ita Tacitus lib. de*  
*Moribus Germanorum, ait, Germani de reconciliandis inuicem*  
*inimicis & iungendis affinitatibus &c. plerumque in coniuiciis*  
*consultant. Sed nemo, ni fallor, exinde deducet; quia*  
*Germani de iungendis affinitatibus plerumque in coniuiciis*  
*consultant, ergo lex adest, ne aliter quam hoc modo*  
*sponsalia celebrent; at vero ad sponsalia clandestina, vt*

211  
46 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

inualida reddantur, eiusmodi lex requiritur. Ergo fundamen-  
tum istius distinctionis non in moribus liberis gentium,  
sed vti iam dictum, in iure canonico est quaren-  
dum. Aliis adhuc rationibus contra sententiam nostram  
vtitur Carpzouius *l. 2. def. 32.* verum illis iam satisfecit  
Dn. Præses *in cir. diff. de reliqu. sacr. cap. 2. f. 21.*

*Quid ius ca-  
non. statuat  
in despon-  
tionibus  
clandestinis.*

§. IV. Quid ergo ius canonicum hac in re statuat,  
paucis est inquirendum. Sciendum itaque, verbis dun-  
taxat, non re ipsa quoque agere ius pontificium de clan-  
destinis sponsalibus: quoties enim horum mentionem  
facit, non clandestinas futurarum nuptiarum sponsiones,  
sed clandestina sponsalia de præsenti, id est clandestina  
matrimonia intelligit. Ita vt & titulus, qui de clandestina  
desponsatione inscribitur, de clandestinis nuptiis sit in-  
tellendus, ceu patet ex *cap. 2. §. 3. d. tit.* Sed nostrates  
hæc ita non attendentes, ad sponsalia proprie dicta textus  
istos applicarunt, postquam semel sponsalia pura & pu-  
blica pro sponsalibus de præsenti habuerunt. Add. Zieg-  
ler. *ad Lanc. L. II. T. XIII. pr.* Dicuntur autem canonistis  
clandestinae desponsationis, sive nuptiæ, quæ absque pa-  
rocho, extra ecclesiam, neglectis denunciationibus factæ;  
publicæ vero & legitimæ, quæ coram parocho in facie  
ecclesiæ, præcedentibus tribus denunciationibus cele-  
brantur, *cap. 3. X. de cland. despons.* Hæc demum nomen  
legitimi coniugii habent. Illæ vero maxime improban-  
tur & magnum in iure pontificio odium habent, vti inter  
alia patet *ex cap. 3. f. Si quis vero d. tit.* adeo vt etiam pastor  
iis interueniens, per triennium suspendatur. Sed quam-  
uis ita improbentur, tamen si de facto celebratae, validæ  
& ratæ sunt, *c. 2. d. t. & cap. 6. de Sponsal. duov. in l. collect.*  
Gonzal. *ad cap. 3. eod. n. 12.* ob interueniens sacramenti vin-  
culum, vnde *in cap. 2.* dicitur, *ab ecclesia recipienda sunt, &*  
*compro-*

*comprobanda, tanquam a principio in conspectu ecclesiae contracta.*  
Et ob hanc difficultatem plures patres in concil. Tridentino putarunt, ecclesiam non posse irrita reddere matrimonia clandestine recepta, ut refert Spondanus in continuat. Baronii, anno 1563. n. 39. quod tamen nihilominus factum postea est in session. 24. c. 1.

S. V. Quare autem ius pontificium nulla alia matrimonia, quam quae publice in ecclesia celebrata, pro legitimis habeat, cetera vero omnia, etiamsi pastor intertinerit, clandestina & quodammodo vitiosa dicat, videamus. Pro ratione potissimum interpretes afferunt, varia incommoda & damna, quae ex clandestinis sequi solent coniugiis, datur enim frequens adulterandi occasio, cum reiecta priore coniuge, clari cum alia matrimonium contrahi facili opera possent; & contra eis nuptiis, sera de affinitate, consanguinitate, parentum consensu aliae coniunctionem inhibente causa, inquisitio est; quin & si inde eiusmodi impedimentum, durante matrimonio clam contra eum, appareat, & nuptis & liberis interea procreatis magnum damnum & praetudicium fieri necesse est; unde merito legibus ecclesiasticis cautum fuit, ne nudus consensus ad traditionem corporis sufficeret, sed statutis certis solennibus, terminus præfiniretur, intra quem qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponeret. Sanchez. Disp. 4. Barbos. de offic. parochi. P. 2. cap. 21. Ex ratione iuris ita perspecta, patet iuris pontificii prohibitionem non pertinere, (1) ad sponsalia de praesenti, *Cessat in* quatenus in modo nudæ promissionis permanent, ita ut *sponsalibus* tantum de iure matrimonium contraxerint partes, non *de presenti* factio; nam cum tantum traditionem corporum per priuatum eiusmodi despunctionem non rite fieri, voluerint Pontifices, ob varia, quæ habet, incommoda; insponsali-

*Ratio iuris  
pontificii  
traditur.*

bus

*briefe acce-  
ptis.*

## 48. DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

*Nec non in  
sponsalibus  
de futuro.*

bus autem de præsenti illa traditio non fiat, per ea, quæ differui *Cap. II. f. VI.* sed potius differatur, vsque dum solennes nuptiæ accesserint: hinc a Pontificibus potius cautelæ instar illa sponsalia de præsenti suggesta, nedum, si absque parocho & extra ecclesiam inirentur, interdicta fuere, add. *Cap. II. f. VII. n. 3.* Nec (2) ad sponsalia de futuro seu vera, de quibus h. c. agimus, extendi poterunt Pontifícia rescripta, si clam & remotis testibus illa inenatur: nam non tantum nulli iuris canonici textus desponsalibus de futuro loquuntur, sed & pariter ratio, *f. præc.* tradita, in iis cessat, cum tantum viam sternant ad futuras nuptias, quæ dum populo etiam nostris moribus denunciatur, futuræ coniunctioni in tempore occurri potest, si eam non concedendam iusta suadeat causa, nondum enim indissoluble matrimonii vinculum iisdem inest, nec etiam adulteriorum frequentia hic, vti in clandestinis matrimoniiis, metuenda. Quam inepta itaque sit nostrorum extensio prohibitionis clandestini matrimonii, ad sponsalia clandestina, optime, præter Zieglerum *alleg. I.* docet H. Zoesius *ad rit. X. de clandest. desp. n. 5.*

*Clandestina  
sponsalia ob-  
ligant omni  
iure.*

§. VI. Remoto itaque vnico huius distinctionis propugnaculo, quod in iure canonico haberi, multis videtur; nihil obest, quin sanæ rationis atque iuris civilis præceptis generaliter insistens, concludam; totam illam distinctionem inter sponsalia publica & clandestina, si peculiaria quorundam locorum & prouinciarum statuta exceptis, nullius esse momenti, neque inter hæc & illa quoad vim obligandi vilam esse differentiam, modo contrahentes alias habiles sint, id est, sui iuris, pubertatem egesfi, (minores tamen restituuntur in integrum, quia sponsalia, non sunt indissolubilia vt matrimonium, Maurit. *de restit. c. 245.*) & parentibus destituti. Nam quia totum

spon-

sponsaliorum negotium, eiusque obligatio dependet a consensu contrahentium deliberato, iam autem verus consensus adesse potest, siue is publice coram testibus, siue priuatim, iis remotis, declaretur; sequitur utroque casu valida adesse sponsalia. Vti & omnes contractus non id eo minus valent, quia priuatim & clam initi: & quamvis etiam in contractibus testes quandoque adhibeantur, hoc tamen non sit necessitatis, sed tantum facilitatis probacionis gratia: vnde si aliunde, v. g. per scripturam, actus probari possit, nihil minus valet, licet testes non interfuerint. Cum in iis, quae ex mera alicuius voluntate pendunt, ne quidem partis praesentia requiratur, *arg. l. 16. ff. ad Sc. Maced.* Inde & in *l. vlt. ff. de sponsal.* dicitur; *in sponsalibus constituendis parui referunt, per se, &c. coram, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium hoc factum est.* & in *l. 7. cod. in sponsalibus nihil interest, siue testatio interponatur, an aliquis sine scriptura spondeat.* Quae omnia fieri non possent, si testium praesentia necessaria esset. vid. Brunnem, *Iur. Eccles. Cap. XVI. s. 12.* Et sane rationes urgentissimae subesse possunt ob quas sponsalia ad tempus dissimulanda, v. g. metus potentioris, & aliae infinitae, quas sana politica suppeditare solet, vt hinc testes adhibere nonnunquam periculosem sit. Si dixeris, plerumque tamen in actibus clandestinis concurrere dolosae persuasions, fraudes, concussions, &c. respondeo, haec quidem causae Principem mouere possent ad prohibenda sponsalia clandestina, sed quamdiu lex non adest, Ictus legem fingere nequit. Interim si de dolo & concussione constet, tum nulla erunt sponsalia, non quia clam contracta, sed quia aliud accessit vitium. vid. pluribus Dn. Praef. de Reliq. Sacram. c. 2. s. 20. 21.

§. VII. Dixi autem §. præced. inter sponsalia publica & clandestina, *quoad vim obligandi*, nullam esse differen-  
tiam,

*De probatio-  
ne sponsalo-*

G

## 50 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

*rum clande-*  
*florum.* tiam, verum enim vero negandum non est *circa probatio-*  
*nem* inter utraque magnum intercedere discriben: nam  
 publica, cum in præsentia testium fiant habilium, horum  
 depositione plene probantur, *l. 12. ff. de Testib.* clandestina  
 autem hoc subsidio non gaudent, vnde vel ex solo hoc ca-  
 pite, quod lites inextricabiles & perjuria exinde meruen-  
 da, illa reicit Carpzouius *L. II. def. 33. n. 5.* non animaduer-  
 tens, quod ipse, *def. 36.* statuendo, sponsalia clandestina  
 per concubitum valida reddi, in maiorem labyrinthum in-  
 cidat, quam vbi res adhuc est integra, quod nos supponi-  
 mus. Sed salua res est, præter testes alia adhuc in iure re  
 media prodita sunt, quibus probatio suscipienda. Nec  
 obstat *c. 2. X. de clandesf. despens.* vbi Alexander ita dicit:  
*Si enim matrimonia ita occulte contrabuntur, quod exinde legiti-*  
*mit testes non appareant, ii qui ea contrabunt, ab ecclesia non sunt*  
*oliquare tenus compellendi.* Loquitur enim Pontifex de ma-  
 trimoniis, non de sponsalibus. Ordinarii itapue modi  
 probandi, sicut in aliis negotiis, huctrahendi sunt: arque  
 ita sponsalia clandestina, si de iislis oriatur, probari poter-  
 runt (1) per confessionem voluntariam, qua nulla melior  
 probatio, *l. 2. C. de Transact. l. 13. C. de N. N. P.* (2) per scri-  
 pturam priuatam, sive epistolam, a parte sponsalia negan-  
 te ad alteram emissam, *Nicol. de Repud. c. 1. n. 38.* in quibus  
 factæ despontonis nentio fit. (3) per arrhas datas, *cap. 1.*  
*X. de Matrim. contract. contra interd. eccles. l. fin. Cod. de spon-*  
*sal.* *Meu. p. 8. Dec. 39. n. 5.* (4) per delationem iuramenti,  
 quod pars parti in iudicio desert, *l. 26. ff. ult ff. de iure iur.* Et  
 denique si nullus horum modorum applicari possit, quod  
 rarissime continget, dicendum cum ICto, *tibi non deficit*  
*ius, sed probatio iuris.* Interim hoc ius, ob defectum pro-  
 bationis non plane nullum est, manet enim obligatio ex  
 naturali & diuino iure, conscientiam alterius stringens.

§. VIII.

§. VIII. Ex dictis itaque, satis apparet, quomodo intricate alias quæstiones decidendæ sint, quæ de concur-  
su sponsaliorum publicorum & clandestinorum, si vel in-  
vicem, vel inter se concurrent, inter Dd. & in praxi ven-  
tilantur. Scilicet, constat ex iis, quæ circa concursum  
sponsaliorum & matrimonii subsequentis dicta sunt C. II.  
f. XIV. sponsaliorum eam vim esse, vt, propter efficacem  
quam producunt obligationem, omnia pacta subsequen-  
tia, quæ in eorum præiudicium tendunt, nullitate labo-  
rent. Vnde non potest non firmissimum oriri brocardi-  
cum: SPONSALIA PRIORA PERFECTA SEM-  
PER PRAEFERENDA SVNT POSTERIORIBVS.  
Quia autem pluribus demonstratum iam est, clandestina  
sponsalia, esse perfecta, &, si rite probata sint, quoad vim  
obligandi nihil differre a publicis; hinc tuto inferre lice-  
bit, (1) Sponsalia clandestina, siue, vt mitiori vocabulo v-  
tar, remotis arbitris contracta, priora, indistincte præfe-  
renda esse publicis, seu coram testibus celebratis, poste-  
rioribus. (2) Publica priora, de quo nemo dubitat, præ-  
cedere semper clandestina posteriora. (3) Ex duobus  
sponsalibus clandestinis, priora infirmare posteriora. (4)  
Ex duobus sponsalibus publicis, sola valere priora. Sed  
quid si posterioribus accessit copula vel sacerdotalis, vel  
carnalis, nonne eo casu prioribus erunt potiora? Ita vi-  
detur, & constans est Doctorum opinio. Carpz. *in iurispr.*  
*consil. L. 2. def. 66.* Nam hoc modo per concubitum sub-  
sequentem vel benedictionem sacerdotalem sponsalia  
transeunt in matrimonium, *cap. 30. X. de sponsal.* Verum  
canon iste iuris canonici tantum locum habet in sponsali-  
bus validis; ita vt hæc, licet ecclesiasticae non acceperint  
solemnitates, de quibus *in Tit. X. de cland. despens.* per copu-  
lam indissoluble fiant matrimonium, eo quod mutatus sit

## 52 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

consensus sponsalitius in matrimoniale, vti docet exemplum *in cit. cap. 30.* adductum. Non vero extendendus ad sponsalia, quæ propter sponsalia antecedentia, sunt ipso iure nulla: vnde & ipse Pontifex *in cap. 31. X. de spons.* ex duobus sponsalibus de præsenti priora præfert, licet ad posteriora accesserit concubitus. Firmum ergo manet, indistincte præferri sponsalia priora, non obstante, quod ad posteriora accesserit copula sacerdotalis vel carnalis, quia utraque accessit actui per se nullo, quem accessione sua firmum reddere nequit, *I.s. C. de LL.* Hinc & B. Lutherus in libello *von Ehe-Sachen*, ita docet: Wie wenn einer mit der andern Frauen Kinder hätte, und mit ihr lange Zeit zu Hause gesessen, und in eine Nahrung gekommen? Antwort: es hilft nichts darzu, weil er der ersten öffentlich vertrauet, und ihr rechter Ehemann ist, kan er die andere mit den Kindern nicht behalten. Plane si prior sponsa talem sponsum, binis sponsalibus se polluentem, recipere nolit, non cogenda est, nam ob violatam fidem iuste a sponsalibus recedere potest. Imo potius omnibus modis monenda, ne strictum ius suum nimis vrgeat, propter ingens præiudicium secundæ nuptæ. Vnde & longe æquius esse existimo, posterius matrimonium potius sustinere, ita tamen, vt priori sponsæ omne interesse restituatur, quo posteriori vxori, maxime si priorum sponsaliorum ignara, & liberis, ne spurii fiant, parcatur. *vid. quæ annotauit in fin. s. XIV.C. II.*

*Multis fla-*  
*tutis clande-*  
*stina sponsa-*  
*lia probi-*  
*bita.*

§. IX. Atque hæc ita obtinent de iure communi nullo statuto in contrarium disponente. Quia vero negari nequit, multas allegari posse causas suasorias, ne vim habeant sponsalia clandestina, quia ob defectum probationis multa oriuntur incommoda, & non raro seria contrahentium voluntas in iis deficit, si sequiorem potissimum consideres sexum, qui prætextu horum sponsaliorum sa-  
pius

pius incaute ad furtiuos seducitur concubitus: hinc multi legislatores, e re fore existimantes, vt obex eiusmodi incommodis poneretur, statuerunt, ne obligaret desponsatio, clanculum obtenta; quo ipso distinctionem inter sponsalia publica & clandestina, seu autoritate stabilierunt, quæ omnino sancta atque rata omnibus subditis esse debet; vti latius propugnat Hennig. *ad Grot. de I.B. & P. L. II.C. 20. §. 25.* non obstante, quod forte prima occasio hu- ius prohibitionis ius canonicum fuerit, *per §. II.b.C. in fin. nam vnius rei plures possunt esse causæ.* Ita in plerorumque consistoriorum constitutionibus pro nullis reputari clandestina illa sponsalia, docet Illust. Dn. Stryk. *de Dissert. Sponsal. Scđ. I. §. 36.* An vero etiam vbiique expressæ ad- fint constitutiones, & non potius errore introducta illa sententia, iam in quirere nostrum non est. Prohibent ve- ro in specie illa sponsalia ordinatio ecclesiastica Saxonica, Tit. von Ehe-Sachsen, sub Rubr. von Ehe-Gelot nij: con- stitutio Brandenburgica de Anno 1694. §. anlangend diejenigen Personen. §. XI. Ord. Guelpherbytana de Anno 1693. §. wann sie aber keine Eltern. Consentit Mecklen- burgica, §. Es sollen auch die Pastores. Et quis tandem omnes locorum ordinationes, hic loci, vbi breuitati stu- dendum enumerabit? sufficit, sponsalia sine testibus con- tracta, vim obligandi, quam per se habent, constitutioni- bus quorundam Principum amisisse. Add. *cis. Dissert. Dn. Muller. de Sponsal sine Test. contract. c. l. n. 60 segg.*

§. X. Sicuti ergo hisce casibus, clandestina spon- salia nulla sunt; ita nullis quoque effectibus gaudere pos- sunt, cum non entis nulla sint prædicata, iuxta scholam Philosopherum. Vnde vanæ sunt, de concursu sponfa- liorum clandestinorum cum publicis, lites; illa enim, etsi centum inita essent, semper nulla erunt, quia sunt actus

*Quem effec-  
tum babe-  
ant ille con-  
stitutiones.*

54 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA

contra leges gesti, adeoque nunquam præ publicis valebunt, siue ante siue post ea facta fuerint, siue concubitus accesserint, siue non. Nam & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque castum atque inutile esse, præcipiunt Augusti in *I.s. C.de L.L.* Ast Dd. nostri, plus quam cerebrina equitate duxi, saluberrimas constitutiones variis limitationibus elidunt, & modos suppeditant, quibus conualidentur inualida istæ conuentiones. Quos inter hi duo maxime eminent, confessio scilicet propria, & subsequens copula carnalis. Confessionem quod attinet, illa quidem per *I.I.C.de confessis*, id operatur, vt pro iudicato habeatur confessus, & parata in eum detur executio, *I.s. 6 de reiudic.* sed constat exinde, præsupponi titulum & causam, legibus probatam, ex qua quis ad soluendum quod debet, adstringi possit. Verum qua ratione quis ex sola confessione actus illiciti ad executionem eiusdem cogi possit, & vnde ex eo actu de nouo consensu constet, yti volunt Dd. haec tenus perspicere non potui. Dicitur quidem in c. 2. *X.de cland. despōns.* si personæ contrahentium matrimonio occulta voluerint publicare, illa ab ecclesia recipienda esse & comprobanda. Ast loquitur textus de matrimonio & de eiusmodi despōsatione, quæ quidem in iure odiosa, sed non inualida erat; imo propter sacramentum interveniens non poterat nulla esse *I.1. X.de Sponsal. duor.* yt ad eo per confessionem non conualidetur, sed saltim, vt in ecclesiæ notitiam veniret, publicata videbatur despōsatio, nobis autem sermo est de actu plane nullo. Confessio ergo nihil operatur, nisi accedat noua & legitima consensus declaratio, seu reiteratio sponsaliorum expressa, coram testibus facta, quia forma a legibus præscripta, præcise servanda. Tiraquell. *de LL. connub. gloss. 7.n.106. vers. neque enim formo;*

SPONSALIORVM ET DIVISIONE. 55

*forma, &c.* Prout manifesta etiam sanctione constitutum est in ord. Eccles. Elez. Sar. verba eius referente Carpzouio, l. II. def. 35. n. 4. Quod vero per copulam carnalem etiam sponsalia clandestina firma & valida reddantur, plane a vero abludit, nam copula carnalis per se iam delictum continet, si antelegitimas nuptias sponsalibus accedat, c. I. caus. 30. qu. 5. & hoc casu subsequitur despensationem illicitam, ipsoque iure nullam; impossibile ergo est, ut ex duobus actibus vitiosis, validum nascatur matrimonium. Quin & ratio legis ita prorsus negligitur, & occasio peccandi subministratur, dum enim promissione matrimonii clandestina tutas se non esse credunt puellæ, in furtiuam venerem incautiores consentiunt, quod cum factum est, quæ tum rixæ, quæ iurgia, quæ seges litium? cum negat sponsalia stuprator, dicitque puellam propriæ succubuis-selibidini, illa autem difficultate probandi premitur: tum deuenitur ad iuramentum, metus periurii ex utraque parte magnus apparet, iudex quid in re dubia agat, & quo se vertat, ipse ignorat. Inanis etiam est obiectio, quæ ex fauore stupratæ desumitur; delinquentibus leges non succurrunt, delinquit vero stuprata dupliciter, dum 1. in clandestina sponsalia, & 2. in illicitum quoque concubitum consentit. Damnum ergo, quod sua culpa sentit, non sentire videtur, l. 203. ff. de R. I. Quamuis si forte ex libera partium confessione de sponsalibus clandestinis constaret, non dissentire a Carpzouio; stupratorum cogendum esse, ad reiterationem sponsalorum publicam & solennem; non quod conualidata sint per copulam sponsalia clandestina, sed ne stupratori dolus suus per occasionem legis contra naturalem aequitatem profit. l. I. f. 2. de dol. mal. exc. Modo ne adsint alia sponsalia legitima, in quorum fraudem eiusmodi reiteratio non es-set

951  
56 DISSERT. IVRIDICA DE NATVRA &c.

set admittenda. Optime ergo, vt mihi quidem videtur, responderunt Theologi Ienenses apud Dedekenn. *Vol. 3. conf. theol. lib. 3. sect. 6. n. 8.* de facto interrogati, num sponsalia clandestina per copulam carnalem ipso facto in matrimonium transeant, necne? Wofern solche Personen sich mit einander zuvor nicht verlobt, ob sie schon ihrer heimlichen Verlobniß gegen einander bekanntlich und geständig seyn, daß dennoch solches so fern unbundig erkannt werde, bis beyde Personen das selbe durch öffentliche Geldbniß vor ehrlichen Leuten freywillig wiederholen und bestätigen. Conferatur pluribus de hac materia Dn. Præses *cir. Diff. de reliqu. sacr. cap. II. ff. 25. 26.* vbi & *ff. 27. seqq.* de sponsalibus, inuitis parentibus contractis, agit, an per copulam carnalem conualidentur.


*Conclusio.*

§. XI. Atque haec etiam de sponsalibus publicis & clandestinis in præsenti dixisse sufficiat. Specialiora tangere instituti ratio non permittit, ergo hic subsisto. Vides B. L. non admodum cohærere nostrorum Ddruum tradita circa doctrinam sponsaliorum, & multa notoria dici, quæ talia non sunt. Quodsi rem acu vbique non tetigerim, ignoscas velim & me errantem in viam reducere haud deditigare. Errare humanum est, nihil autem humani abs me alienum puto. DEO T.O.M.  
interim sit laus & gloria in sem-  
piternum.

F I N I S.







Halle, Diss., 1710 S

ULB Halle  
003 768 961

3



TA 06

Mus. Stk. 13<sup>o</sup>







19 93  
DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>R<sup>A</sup>LIS,  
DE  
**NATVRA**  
**SPONSALIORVM**  
ET  
**DIVISIONE,**

Von der  
Natur und Eintheilung der Ehe-Verlöbnisse,

QVAM  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
**DN. IO. SAMVELE STRYCKIO,**  
ICTO, SERENISS. VIDVAE SAXO-ISEN. CONSIL. AVL.  
PROFESS. IVRID. PVBL. ET ORDINARIO  
ICTOR. H. T. DECANO,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
A. 1710. Mense Iunii  
RESPONDENDO PROPUGNAVIT  
**TOBIAS HERMANNVS,**  
MEMMINGA-SVEVVS.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.

(7)

